Hist. 14

Ex Libris jacobi Goyers A Cathiniensis

Vincentius Placcius, jurisconsultus, et Professor Philosophiae ac Eloquentiae Hamburgi, in eadem civitate natus 4. Februarii 1642. apoplexiâ correptus ibidem obiit 6. Aprilis 1699. reliquit diversa opera

1. Dictionnarium Auctorum Anonymorum et pseudo=nymorum, quod Fabricius vulgavit 1708. in fol

2. Tractatus de jurisconsulto perito

Carmina juvenilia.

Digitized by Google

Hist. 14.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE ARTE
EXCERPENDI
Vom
Gelahrten Buchhalten
Liber ſingularis.

Quo
Genera & præcepta excerpendi,
ab aliis hucusq; tradita omnia,
Novis acceſſionibus aucta, ordinata me-
thodo exhibentur,
Et ſuis quæque materiis applicantur:
ſpeciatim
SCRINII LITTERATI INVENTUM
peculiare, ex Manuſcripto Anonymi emen-
datum etiam exhibetur,
Una cum
HISTORIA EXCERPTORUM PROPRIORUM
VINCENTII PLACCII
HAMBURGENSIS.

Accedit
INVITATIO AMICA,
ſuper ſymbolis promiſſis aut deſtinatis
AD ANONYMOS ET PSEUDONYMOS
ſuos.

HOLMIÆ & HAMBURGI,
pud GOTTFRIED LIEBEZEIT, Bibliop.
Literisq; SPIRINGIANIS, Anno MDCLXXXIX.

BIBL. UNIVERSIT. GAND.

VIRO CLARISSIMO
ET
AMPLISSIMO
DOMINO

LAURENTIO NORMANNO,

Regiæ Academiæ Upſalenſis Profeſſ. P. Regiique Antiquitatum Collegii Aſſeſſori graviſſimo

S. P. D.

VINCENTIUS PLACCIUS.

QUæ ſingula movere alios ſolent, ad exornanda ſua nominibus aliorum inſignium ſcripta, eorum plurima in TE mihi nunc, *Ampliſſime* NORMANNE, concurrunt. Eruditio, Virtus, Amor, & hujus

hujus quod Tibi nunc do pignoris publici, non incerta nec imperita æſtimatio. Quæ omnia ſi partite jam & enucleate, atque ut merebantur, ex vero, affectuq; meo, hic deducere anniterer, næ ego vim facturus eſſem intolerabilem æquè pudori Tuo ac meo! Erit ſane, ac fuit adeo jam, aliquis tum in hoc opere, tum in adjuncta eidem Invitatione amica, commodior id faciendi, ni fallor, locus. Quod ſi vita ſuppetet, toties mihi vocandus eris in partes, ut jam ſatietas ejus ne capiat, nulla re ante quam laudibus etiam ſumme promeritis virorum doctorum ſatiandum hocce, tam impatiens alienarum laudum atque invidum plane ſeculum, juſtus ſit metus. Interim mihi quidem abunde ſatis fuerit, Illuſtris & dudum in chariſſimis habiti mihi, ob lectiſſimam eruditionem atque prudentiam ſcriptoris, *Franciſci Baconis de Verulamio*, ſimiliumque illius judicio, meam hancce NOMINI jam alias propria luce CLARISSIMO TUO factam inſcriptionem approbaſſe. Ex ejus enim ſaniſſima ſane ſemper viſa mihi ſententia, ſiquidem *libri, in veritatis tantum & rationis clientelam ſe dare debeant,*

ac me-

ac melius veteres, qui non aliis, quam amicis, atq; æqualibus ſcripta ſua dicare ſolebant, ut habet *de augm. ſcient. lib. 1. pag. m. 37.* mei jam conſtat plane facti ratio ſolidiſſima. Quippe vel ratione magis experta, vel veritate magis confirmata, examinandam præſentem meam ſcriptionem cui offerrem electuro, ex omnibus mihi notis unum, qui conferri tecum poſſet, inventus eſt nullus. Amoris verò erga me tui publica etiam præter privata jam extant ea documenta, quibus ut ingenio & eruditione me inferiorem longè agnoſcam, ac lubens, at æqualem Te mihi affectu reciproco factum ultroneo tuo, ſimul experiar, ac lætus. Unum adhuc erat, quod deterrere fortaſſis non neminem potuiſſet. Operis offerendi tenuitatem credat aliquis. At enim ut eam haud inficiari, ſi velim, queam: ita niſi diffidens Amori in me tuo, excuſatum ire non queam. Quippe quæ parvum nihil quod amicum eſt videri ſinat, nec mole muneris, ſed animo dantis oblata ſine dubio metiatur. Tum hæ veteres jam cantilenæ ſunt, & protritæ nimis: novum eſt, & magis abditum, imo ſecretioris cautelæ, quod innuam. Nempe ne quas in me contuliſti

doctiſ-

doctiſſima tua de Socrate diſſertatione laudes, olim videar hoc officio vel provocaſſe, vel agnoviſſe. Verum & illud facile apud me rurſus evanuit, expendentem uti res eſt, quod cum noſtræ conjunctionis memoria in occulto manere, per utriusq; noſtrum edita, & edenda porrò litteraria monumenta, nec debeat adeo, nec poſſit: inſignius multo ad gloriam, præ quovis præconio mihi dato ſit futurum, placuiſſe ac amatum fuiſſe NORMANNO, quam laudatum. Interim ne dum Amplificator meæ laudis ac famæ eſſe ſtudes, invidiæ conciliator etiam ſis nimiæ, cautio eſt. Sufficiant hac in parte, quæ jam extant, navatæ mihi tuæ beneficentiæ tam inſignia monumenta: quæ ut ab aliis larga, ſic à TE prodiga pene ſum conſecutus, dum *copias Anonymorum & Pſeudonymorum* tuas adeo copioſas, pro meis habere mihi permiſiſti. Quarum educendarum in conſpectum publicum moram, juſto diuturniorem, ægre ne feras rogo: arrhæq; interim loco benevole accipias, ſecuturarum grati animi uberiorum etiam aliquando, ſi Deus voluerit ac vivam, teſtificationum, hoc præcurſorium nunc levidenſe documentum. *Vale.*

I.N. J.

ERRATA.

PRæcipua pauca, primo intuitu obvia facta, carptim percenſenti neglectas typographo correctoris emendationes, ita tollantur.

Pag. 59. §. 3. lin. 13. ſen*ten*tioſe. 150. lin. 26. Unus. I. ut. 194. l. 4. num. LXVI. deleto &. 222. in margine LXVII.

Reliqua *Lector æquus* excuſabit, facili ut ſpero, divinatione, citra noſtram indicaturam emendanda.

I. N. J. C.

DE ARTE EXCERPENDI

CAP. I.

DE

Excerptis in genere, eorumque vario *nomine*, & *Arte*: hujusq; exiſtentia, *Natura*, *Mediis*, *Auctoribus*, *Uſu*, *Attributisq;* aliis; & Generalibus *Præceptis* obſervandis, *Vitiisq;* fugiendis.

§. 1. De NOMINE EXCERPTORUM ejusque SYNONYMIS.

EXcerpta dicuntur *ab* excerpendo, id eſt *ex* multis *carpendo*, quæ ſunt utilia. Quod carpere à Græco καρπὸς (fructus) notatur derivatum. Utiturq; voce hac excerpendi hoc ſenſu etiam A. GELLIUS, *Noctium Atticarum l. 17. c. 21.* & PLINIUS, *l. 3. Epiſt. 5.* Imo *Cicero* docente DREXELIO

Aurifodinæ ſuæ initio, & cum eo *Andreas STUBELIUS de Excerptis adornandis. Diſp. Lipſiæ habita. 1684. c. 1. §. 1.* Alias vocantur etiam *loci communes* vulgo: ὑπομνήματα, *STRABONI, l. 4. Geographiæ ſuæ*: quaſi dicas vice memoriales, vel vice memorialia. Nam etiam *memoriales libri*, & *Schedæ*, ac *libelli*, vel *codicilli*: *memorialia* item ſcripta, *Codicilli* aut *Schedæ reminiſcentiæ*, bonis & antiquis auctoribus dicuntur. *Sic* etiam *collectanea*, Græce ἀνάλεκτα, *Eclogæ*, unde *Eclogarii*, *conjectanea*, *promptuaria*, *notata*, & *annotata* vocantur. Item *commentarii*, & *commentaria*, ſicut *commentari* pro excerpere uſurpat iterum *GELLIUS l. 1. c. 9.* Ubi & *percerpere* legitur. Hinc *commentarienſes* & *Memoriales* iidem, qui *librarii* dicebantur: germanice Buchhalter/ Barbare *Regiſtratores* dixeris. Apud *CICERONEM* etiam *pro Milone* legitur *librarium legum*, pro volumine excerptorum ex legibus. Unde ſi librarios eruditos, gelahrte Buchhalter/ & artem ipſam die gelehrte Buchhalter-Kunſt ſi voces nihil erraveris. Porro etiam *memoratoria* & ὑπομνηστικὰ dicuntur, quemadmodum videre eſt apud *Job. SCHEFFERUM, de ſtylo illiusq; exercitiis c. 12. §. 1. & 10. pag. 148.* Quo poſteriori loco inprimis etiam voces aliæ ſpeciebus excerptorum peculiaribus propriæ recenſentur: e. gr. *Anthologiæ*, *Breviaria*, *Digeſta*, *Electa*, *Florida*, *Florilegia*, *Laudabilia*, *Memorabilia*, *Pandectæ*. *Summaria*, χρηστομαθείαι: de quibus quomodo ſpeciebus diſtinctis aliquæ magis conveniant, ſuis locis infra dicetur, pleraſq; liquet ab accidentibus communibus; v. gr. quod florum inſtar

ele-

elegantia, vel laudanda, aut memoranda excerpi debeant, impoſitas eſſe. Plura huc pertinentia vide apud *STUBELIUM l. c.* §. 1. 2. 3. 4. 11. ubi §. 3. ut & *cap. III. Obj. 7.* de *compilandi* voce huc bene vel male applicata agit, & apud *Clariſſ. MORHOFIUM Polyhiſtoris eruditiſſimi, lib. 1. c. XXI. pag. 242.*

§. 2. DEFINITIO ARTIS EXCERPENDI, & quod aliqua omnino detur, deque illius NATURA univerſim conſiderata.

ARS EXCERPENDI nobis hic eſt *ars liberalis, memorabilia* quæq; cum primis *ad ſtudia pertinentia, ſic enotandi, ut* elapſa *memoriæ commodiſſime iterum ſiſti ſemper poſſint.*

Artem excerpendi aliquam *dari*, eodem ex principio demonſtramus, unde *ARISTOTELES* artem Rhetoricam dari demõſtrat, *initio Rhetoricorum ſuorum.* Nimirũ *ex definitione artis*, quæ eſt habitus efficiendi aliquid cum recta ratione. Unde cum indubitatũ ſit, dari habitum excerpendi, ſiquidem rationes etiam dari queant, unde bonitas & malitia excerpendi diſtinguantur, habebimus id quod quærimus. Rationes autem eas unicuique bona cum malis excerptis conferenti, aliquas etiam naturali judicio licebit aſſequi, plenas autem & ordinatas in ſequentibus exhibebimus.

An autem *ex artium liberalium ſeptem* vulgo numerari ſolitarum, una noſtram hanc ut partem complectatur, vel vero peculiaris ea ſit habenda, cum quæſtio potius ſit Theoretica quam Practica, ſollicite adeo

non diſceptabimus. *Barthol. KECKERMANNUS Apparatus Practici cap. 2.* tanquam doctrinæ de methodo fructum, videtur *Logices partem* eam facere velle, ſed non ſatis idoneis argumentis: utpote quibus omnia etiam alia, in ordinatione mutua poſita, Logices evaderent partes. *Mnemonices* ſive artis memoriæ juvandæ partem hanc ſiquis eſſe contenderit, plane contra illius artis naturam id fecerit. Cum ea quidem memoriter retinere ſine ſcripto: hæc elapſa memoriæ iterum commode ſiſtere nos edoceat. Unde peculiarem, & ex peculiaribus ſuis principiis deducendam eſſe, in manifeſto eſt.

§. 3. AFFINIA Arti excerpendi, ab eadem SECERNENDA: videlicet

(1) SIGNANDI RATIO citra enotationem.

(2) ENOTATIO INARTIFICIALIS.

SEcernimus ab excerptis merito, *quicquid* vel *non exſcribitur*, ſeu *enotatur*, vel *ſine arte*, & confuſe exſcribitur, utriusq; tamen generis aliqua, cum arti noſtræ adminiculum præbeant inſigne, imo ſæpe neceſſarium plane, non erunt hic ſilentio prætereunda. Itaq;

1. *Signandi ratio citra enotationem*, in Auctoribus quos legimus, & *utilis* eſt memoriæ juvandæ, & repetitioni promtæ illorum quæ memoriæ ſunt elapſa. Unde affinitas adeo cum arte excerpendi ſatis manifeſta. Et omnino etiam ſuam *artem* hæc induſtria *recipere* poſſit

poſſit peculiarem: certe judicium requirit non exiguum, ut commodè fiat. Etenim plures ſunt *modi ſignandi*, quorum.

Aliqui ſunt planè *rejiculi* v. gr. *Unguibus*, aut *plicaturis*, aut *ſchedis interjectis* facti. Quorum *priores* merito, ut *ſordidi* damnantur jam â *DREXELIO Aurifod: l. 1. c. 10.* & *TITIO Manuduct: ad excerpend: §. 41. n. 5. p. 388.* Et poſterior quidem eo magis, quod non niſi macerata iterum charta, qualiter fit cum alumine, ad recipiendam ſine transmiſſione vel diffluendi fœditate ſcripturam (planiren vulgò vocant) poſſunt eæ plicæ iterum tolli. Ultimus modus, ob excidentes etiam facile ſchedas, *incertus* eſt. Omnes vero in univerſum parvæ ſunt utilitatis. Aliqui *neutiquam* ſunt *contemnendi*: ſive fiant *atramento*, ſive *colore alio*, de qua *Illuminatione* vide *Joh. TELGIUM Progymnasm. Rhet: Tit. de memoria f. 55.* vel ut deleri itèrum posſint, *plumbagine*: & quidem per *ſigna* (1) *inarticulata* & *illiterata* v. gr. ductas *lineas ſub ipſo contextu*, qua ratione ipſum *argumentum*, ſubductis ê textu voci uni aut alteri lineolis commode ſecerni poterit: imò *duplicatis lineis*, vel *coloribus mutatis*, idem impetrare omnino licebit, quod hodie per *diverſitatem Typorum*, ars typographica eleganter repræſentat, notabilibus alio charactere conſpicuo expreſſis, v. *TITIUM §. 17. n. 4. p. 51.* Sic & extra contextum *in margine* aſteriſci, ſimilesve notæ poterunt adhiberi. Vel (2) *articulata* & *litterata* etiam *ſigna*, *per* litteras, vel *voces* integras, aut *abbreviaturas* earum: v. gr. *N. NB. Obj. Reſp.* &c. Qua in re quomodo jam *veteres* olim latini & Græci

varia ſignorum genera utilibus, inutilibus, dubiis &c. diſtinguendis adhibuerint, videatur *SCHEFFERUS de ſtylo cap. 12. §. 10. p. 149.* & *TITIUS loco citationum 10.* Et ex profeſſo hoc argumentum tractantes: *SIXTVS Senenſis Bibliotheca Sanctæ* lib. 3. p. m. 194. & ſeqq. ubi de notis litteratis & illitteratis agit, ut & *Val. PROBUS* cum notis *Henrici ERNSTII*, in 4. Soræ. 1646. & *Joh. MULLERUS de arte notandi ſigna*, cum notis *Jo. Frid. HEKELII* in 4. Cygneæ. 1681. Ex quibus, ut & aliis memoratis *Martino LIPENIO ſub Titulo notarum in Bibliotheca ſua Philoſophica & Juridica*, poſſit *ars* aliqua *ſui pretii, ſuæq; ſolertiæ* confici. Quandoquidem imprimis, *ſi plura ſint diverſi generis* in uno eodemq; libro *notanda*. v. gr. voces, ſententiæ, exempla, ſimilia, argumenta, dubia, probanda, improbanda &c. expedit omnino *diſtinctis bene ſignis* uti: imo ita diſtinctis, *ut liceat ea pro neceſſitate ac uſu quandoq; immutare:* puta ſignatis ut dubiis, ſignum, (ubi dubitatio ceſſaverit,) certitudinis, & quidem vel approbationis, vel improbationis, ſubſtituendi. E. gr. ex puncto (.) lineam transverſam (—) inde crucem (†) hinc aſteriscum (*) & ita porro efformando.

Ita per lineolam ſtantem ſimplicem I *ſimpliciter notabilia.* per geminatam II *magis notabilia*, & approbata,

per factam inde litteram N certò reſpectu *tibi notabilia.* *Theoretica.* per NB. vero. *Practica.*

per lineam transverſam rectam — *dubia.*

per aduncam, aut angulum ∠ *dubia.*

val-

valde. per crucem X *improbata* &c: pro lubitu poterunt ſignari.

Ubi videbis priora in ſequentia mutari poſſe, & aliqua ſic, ut priorum maneant reliquiæ & veſtigia. v. gr. ⁀ mutatum in N. vel NB. inverſione diſtinctum a NB. ſignabit rem olim dubiam, poſt confirmatam demum, & valde notabilem viſam, &c. Quæ *res* & ſi *minuta* videri poſſit, *non exigua* tamen eſt *utilitatis*. Quandoquidem *hac ratione licet* nobis *integrum librum parvo tempore, quantum ad quodq; genus notabilium repetere*: illius tantum ſpeciei ſigna inter evolvendum attendentibus, quibus id genus notabilia fuere deſignata. v. gr. ſola reprobata & forte nunc refutanda, inſpectis crucibus, Practica nunc uſurpanda inſpectis NB. & ita in reliquis.

2. *Enotatio ſine arte*, iterum variis modis fieri poteſt. Nimirum: Aut *in libellum aliquem Miſcellaneorum*, qui *rapſodicus* aut *rapſodia* veteribus vocabatur: *DREXELIO* dicitur *olla pauperum part. 3. cap. 7.* Tales ſunt *variæ hiſtoriæ ÆLIANI*, & alia veterum, vide *SCHEFFERUM de ſtylo §. 15. p. 147.* recentiorum, item *adverſaria*, *variæ lectiones*, &c. Aut vero *in Schedis memorialibus* promiſcue exſcribendo. Quod ſi temporis ordo ſtatim obſervetur, diebus, menſibus, annisq; quibus excerpſeris adſcriptis, fient *annales*, *Ephemerides*, *Diaria Erudita*: magis etiam memoriam adjutura, ſi locus apponatur, ex monito *KECKERMANNI in Idea locorum communium c. 2. p. 4.* Aliqui etiam *fronti* tantum, aut *calci* ejus quem legunt *li-*

bri, adjectis aliquot *foliis, notabilia inſcribunt*: vide *SCHEFFERUM l. c. §. 5. p. 143.*

Hi *modi* quemadmodum *pauca lecturis*, vel *memoriæ* multum *fidentibus ſufficere*, vel in *occupatis* maxime viris *excuſari poſſint*: ita aſſidue in literis verſantibus *aliis parum convenient*, vide *KECKERMANNUM l. c. p. 4. & 5.* cum *DREXELIO part. 3. c. 7.* Quomodo autem hæc *præſidia*, tanquam *ſubſidiaria excerptorum* adminicula junctim uſurpari queant, ſuis locis *inferius* exponetur.

§. 4. MEDIA comparandi hanc artem.

Ubi (1) De LIBRIS hucusq; ſcriptis circa hanc artem ſingulatim.

(2) de VIVIS DOCTORIBUS ejusdem.

(3) de EXPERIENTIA PROPRIA.

A*Rs excerpendi*, quemadmodum omnis alia, *conſtat præceptis*, & *exercitatione*.

Præcepta vel *diſcuntur* 1. *Ex libris*

2. *ex auctoribus vivis*.

3. *Propria experientia* & *meditatione*.

Libri de arte excerpendi ſcripti, vel tractant illam *ex profeſſo* ſolam, vel *incidenter* tantum. *Utriq;* vel *omnem artem*, vel ſpeciem & *partem aliquam* ſolam attingunt.

Ex profeſſo de arte excerpendi omni, *libros peculiares*

ares ediderè (1) *Hieremias* DREXELIUS, eujus *Aurifodina*, ſive *excerpendi ſolertia*, paſſim nota eſt, & edita ſæpius: ac tandem *cum additamento methodi excerpendi ſuccinctioris*, *Martini* KERGERI Antwerpiæ 1658 Vratislaviæ 1659. & Coloniæ 1672. in forma minima. Uterq; tamen *præter adverſarium excerpendi genus nullum* aliud commendat. Ex his prior ſolus, cum mox memorando nobis *Joh. TITIO*, memoratus *Martino LIPENIO Bibliothecæ realis philoſophicæ. pag. 492. b.* quibus proinde addendi ſunt, qui ſequuntur. (2) *Bartholomæus* KECKERMANNUS *conſilio Logico, de adornandis & colligendis locis communibus rerum & verborum*, quod *operum ejus Tomo 2. capitibus* novem exhibetur. Et omnium quidem hactenus ejus argumenti ſcriptorum publicorum *ingenii & induſtriæ plurimum* oſtendit (3) *Joh. Petrus* TITIUS, cujus *Manuductio ad excerpendum* Gedani 1676. in forma uti vocant vulgo duodecima edita, *potius exemplis quam præceptis*, & *verborum* quidem, *quam rerum* colligendarum, *abundat*. (4) *Juſtus Chriſtophorus* UDENIUS, cujus *excerpendi ratio nova* germanice in 4to anno 1681. edita *nihil novi habet*. (5) *Joh. Chriſtophori* STORKAU *methodus excerpendi* citatur *UDENIO p. 14.* mihi nondum viſa. (6) *Andreæ* STUBELII *excercitatio Academica de excerptis adornandis*, hoc anno publica diſputatione Lipſiæ propoſita, *generalia* quædam de natura, & utilitate excerptorum ſatis *erudite & copioſe proponit*, *ſpecialia* vero *promittit exſpectanda*. (7) Thomæ SAGITTARII *Conſilium locorum Communium*, eidem *Udenio*

laudatur. *pag.3. in annot.* tanquam editum, 1618. in 8. mihi necdum viſum.

(8) In libro *Gallico* ANONYMO cui titulus *Biblio-theq; Univerſelle & Hiſtoriq; de l' Annee 1686. Amſte-lod. 12. menſis Julii. p. 315.* & ſeqq. exhibetur *Epiſtola* ſeu LETTERE *de Monſ. J. L. de la Societe Royale d' Angleterre á Monſ. N. T. contenant une methode nou-velle & facile de dreſſer des recueils dont on peut faire un indice à part, en deux pages.* Quæ revera nil niſi Adverſariorum collectanea facere docet, indicis non ſatis commodo, licet novo modo conficiendi, aliqua inventione aucta, *v. infra. §. Cap. II. Sect. VI.* Ipſius Auctoris nomen editioni novæ Anonymorum noſtro-rum reſervatur. Præter hoſce impreſſos Auctores *manuſcripti* etiam *Tractatus* hujus argumenti in mul-torum manibus verſantes, qui mihi quidem inotuere, hi ſunt.

1. *Michaëlis* KIRSTENII Profeſſoris olim hujus Gymnaſii meritiſſimi, *folia* quidem *pauca*, ſed cum *ju-dicio ſummo & ſelectu*, potiſſima impreſſis omnibus, excepto Keckermanno memorata, quæ compræhen-dant.

2. *Chriſtophori* SCHRADERI Profeſſoris olim Helmſtadienſis aliquoties collegiis privatis prælecta *notatu digniſſima*, potiſſimum tamen Oratoriam artem ſpectantia, quæ ſub finem vitæ *aucta* etiam val-de, â filiorum ipſius uno, Viro Ampliſſimo ſui parentis cognomine, Conſiliario Principis Cellenſis, Amico meo ſummo nuperrimè præſenti memorabantur, ſed hucusq; tranſmitti non potuerunt, quoniam cui ex

fra-

fratrum ſuorum omnium Doctiſſimorum pluribus eorum hæreditas obveniſſet, haud meminerat ſatis. Unde antiquo aliquo manuſcripto ſolo, eoq; mutilo contentus eſſe debui, hinc inde citando.

3. *Caſparis* SAGITTARII Profeſſoris Jenenſis clariſſimi *lectiones privatæ anno hujus ſeculi 77. habitæ*, laudatæ *UDENIO p. 17. 22. & 71.*

Incidenter hoc argumentum tractaverunt præcipue, qui *de legendis libris, & ſtudiis inſtituendis* ſcripſere. Prioris argumenti exſtant.

(1) *Franciſcus SACCHINUS de ratione libros cum profectu legendi, cui addita oratio de vitanda moribus noxia lectione, in 16. Ingolſtadii* 1614. ubi aliquot capitibus de excerpendi methodo agit *ante DREXELIUM*, à quo citatur *part. 1. c. 10. p. 93.* ut adeo hic primus non fuerit hujus argumenti ſcriptor, uti putat *UDENIUS c. 1. p. 2.*

(2) *Thomas BARTHOLINUS* filius, *de libris legendis diſſertatione ſexta* p. 189. *& ſequentibus.*

De ſtudiis inſtituendis exſtant, Innumeri pene, quorum benè multi memorati *LIPENIO in Bibliothecis ſuis* ſingulis ſub hoc titulo, & hi partim quidem de ſtudiorum methodo recta,

Generatim agentes, quos inter de excerptis præcipuè conſulendus *Jacobus MARTINI, Pœdiæ ſeu Prudentiæ in diſciplinis generalis lib. V. cap. 9.* & alii plerique, quorum benè multi memorantur *Clariſſimo Dan. Georg. MORHOFIO doctiſſimi ſui Polyhiſtoris. lib. 2. c. VII. pag. 398. & ſeqq.* Poſtremò verò etiam,

Speciatim de ſingulis ſtudiorum ſpeciebus agentes,

Aucto-

Auctores conjunctim plures, *apud Batavos* in 12ma forma editi *Tomis duobus*, præfixo priori *Grotiano*, poſteriori *Voſſiano* ſplendidiſſimo nomine; quorum aliqui de excerptis etiam varie agunt. Seorſim exſtant *Jani Cæcilii FREY via ad ſcientias artesq; parte 6. fol. cc. 4.* de locis communibus agens. *Joachimi ab* HIRTENBERG *Palæſtra nobilium cap. 13. & 14. Chriſtophori POMARII Conſiliarius Scholaſticus p. 187. & ſeqq. Joh. Henrici URSINI Muſagetes de ſtudiis inſtituendis p. 6. Leonardi HUTTERI Conſilium de ſtudio recte inchoando, obſervatione ſexta*, & plures alii.

Huc pertinent etiam *præfationes eorum, qui collectanea ſua ediderunt* v. gr. Introductio *Joh. MAGIRI Florilegio* ſuo præfixa. Cujus generis multa commemorat *STUBELIUS c. 1. §. 18.*

Partem artis ſpeciatim tangentes ſunt.

1. THEOLOGI, de ſtudio illo inſtituendo, & magis etiam de oratoria Eccleſiaſtica ſpeciatim commemorantes. v. gr. *Joh. HULSEMANNUS* in *methodo ſtudii Theologici*, & in *Oratoria Eccleſiaſtica* c. 5. *Balthaſar MEISNERUS* brevi *inſtructione de locis communibus Theologicis. Abraham CALOVIUS Iſagoges Theologicæ part. 2. Joh. FORSTERUS de ſtudio Theologico recte inſtituendo c. 3. Simon PAULI Methodo locorum Theologicorum part. 1. in prolegomenis, p. 2. Ludovicus CROCIUS Oratoriæ Eccleſiaſticæ p. 224. KECKERMANNUS* in *Rhetorica Eccleſiaſtica.* &c.

2. JCti v. gr. *HEGENDORPHINUS* in *Epitome Tirocinii Juris Civilis Cap. 7.* & alii conjunctim in li-

bello

bello cui *CYNOSURA JURIS* inſcribitur, Spiræ 1588. in 8vo. &c.

3. PHILOSOPHI extant *KECKERMANNUS* præcipue in *Idea* peculiari *locorum Practicorum* exhibita Titulis valde multis, laudatus eapropter *BUCHNERO part. 1. Epiſt. 171. p. 409.* item *Manuductione ad Philoſophiam Practicam cap. 2.* &c.

4. LOGICI huc pertinentes ſunt *ARISTOTELES Topic. l. 1. c. 12.* (vel Paciana diſtinctione *c. 14.*) cujus etiam *commentatores* conſuli poterunt. *JUNGIUS Logices l. 5. c. ult. Joh. CLAUBERGIUS Logicæ veteris & novæ part. 3. l. 2. Sect. 8. & ſeqq.* &c.

5. HISTORICI, *BODINUS Methodi Hiſtoriæ legendæ c. 3.* & *LIPSIUS centur: 3. Epiſt. Miſcellanea 61.*

6. RHETORES vero imprimis *Jacobus THOMASIUS Conſilio de locis communibus*, *affixo* erotematis Rhetoricis, multumq; laudato apud *STUBELIUM c. 1. p. 17. & 18.* Melchior *JUNIUS Methodo eloquentiæ c. 12. CRUSIUS* in *quæſtionibus ad Rhetorica Melanchtonis p. 267. & ſeqq. ac 271. KECKERMANNUS* in *ſyſtemate Rhetorico. ERASMUS l. 2. de Copia STURMIUS de addiſcenda lingua latina l. 2. c. 11. Georgius ROLLENHAGIUS Pædiæ p. 84.* Deniq; *Joh. SCHEFFERUS de Stylo c. 11. & 12.* Ac ſpeciatim *quantum ad artem Epiſtolicam*, *LIPSIUS de conſcribendis Epiſtolis c. 12.* (quem exſcribi dignum judicavit *Antonius POSSEVINUS Bibliothecæ ſuæ ſelectæ c. 17.*) & in illum notæ *Chriſtophori HEIDMANNI* Profeſſoris olim Helmſtadienſis, &c.

Atq; hi adeo ſunt auctores hujus artis, quotquot ad

meam

meam unquam perveniſſe notitiam nunc recordor. Quorum equidem nullum haccc mea ſcriptione velim ex manibus cujusquam excuſſum. Quin potius quidquid ex eorum ſingulis & univerſis, quos inſpicere mihi licuit, ad ſummam artis faciens potui collectum huc atq; digeſtum ad ſua loca ſic retuli, ut quoties ipſum juxta expediret auctorem inſpexiſſe, vel quod uberiori ſermone, vel quod exemplis, aut alio modo illuſtrationi majori poſſit inſervire: toties eundem allegare, pro virili ſemper ſtuduerim, cum hiſce meis Lectori benevolo conferendum. Id quod etiam in aliis, ſi qui porro prodeant, aut prodiiſſe comperiantur mihi nondum memorati vel collati, ut faciant ſtudioſi hujus artis, ad plenitudinem ejus perfectiorem,

qua per univerſalium præceptorum notitiam
qua per exemplorum ſingulorum experientiam

uberiorem comparandam, omnino ſim auctor.

Comparuit quidem etiam in Catalogis ſuperioris anni nundinalibus *Joh. Heinrich. ARNSTEINII de ſtudio excerpendi liber*, edente *Joh. Chriſtoph. Schmidio.* 12. *Gothæ apud Salom. Reyher:* ſed qui neq; hic, neq; Lipſiæ, neq; Francofurti cum potuerit haberi, inter eos mihi habetur hucusq;, qui ſolis in Catalogis illis comparuerunt.

II. Præter omnes hoſce Scriptores, *operæ pretium* adhuc fuerit, *vivos* inſuper *Doctores conſulere*, ſiquidem haberi poſſint probe experti, ac invidia vacui. Quandoquidem & ii, qui *ex profeſſo* ſcriptis hanc artem ſunt complexi, *neutiquam* omnem eam *abſolverunt;* qui vero *Incidenter* aut *ex parte* tantum eam

tracta-

tractaverunt, plerīq; admodum *leviter* illam *delibarunt*. Ut adeo multæ adhuc acceſſiones huic doctrinæ ſint ſperandæ, cujus *compendia indies nova poſſunt excogitari: quorum aliqua ſunt talia, & tot minutiis conſtantia, ut ſatis exacte literis mandari non poſſint*, certe clarius longe & *facilius ocularia inſpectione repræſententur*.

Eligendi autem erunt præcæteris *doctores idonei*, ſive illi *qui* & maximè *velint juvare* auſcultantem, & *poſſint* etiam. *Poſſint* nempe, ſcientes per cauſſas ſua ipſa præcepta, & experiendo compertum eorundem uſum & explicationem habentes.

Velint autem, nullo animi vitio impediti: cujusmodi, ut alia plura, v. gr. ſuperbia, avaritia &c: eſſe poſſint; ita frequens nimium ex utraq; illarum orta invidia creberrimo ſolet hic proh dolor! eſſe impedimento. Qui fit, ut tam rara ſit ac vix impetrabilis apud pleroſq; ſuorum Excerptorum inſpectio. Qua de rè vide *principium Epiſtolæ* ad calcem hujus libelli *adjectæ*.

III. Deniq; *propria exercitatio* neceſſario *debet accedere*; quo ſelectiora ex variis conſiliis præcepta univerſalia promte dextreq; executioni mandare aſſueſiamus, & hinc ad analogiam, vel per compoſitionem & mixturam diverſarum ſpecierum ſolerter etiam aliqua nova excogitare, indeq; tum ſpecialia tum generalia præcepta locupletare poſſimus.

Et ea quidem eſt præcipuum hujuſce noſtræ nunc ſcriptionis argumentum, quatenus ad præceptorum debeat univerſalium tenorem expediri. Quatenus

verò

verò *ad imitationem*, & mutando, atq; variando, ingenioſe augeri hæc ars poſſit, *exemplis* aliorum inſpectis; ſua cuiq; induſtria, per *ingenii naturalis exercitationem* ſedulam, verſando cuncta tentanti; & *Logica* ſimul, atq; *moralia*, ſolertiæ heureticæ, ſive *inventionis præcepta* dextrè adhibenti, accedente longiore *uſu* indies magis magisq; ſuppeditabit. Siquidem hic ille fundus eſt inexhauſtæ fœcunditatis, ſuas quotannis, dum vita manebit, ſedulo laboranti fruges nunquam non redditurus.

§. 5. UTILITAS Excerptorum qua ESSENTIALIS, propria & PECULIARIS, qua ACCIDENTARIA & cum aliis artibus COMMUNIS ſtabilita

(1) *rationibus*, &
(2) *auctoritate* Virorum ſummorum.

I. Utilitas imò *neceſſitas hujus artis* tanto erit major, quanto excerptorum vel nullorum, vel ſine arte factorum, utilitas eſt futura minor. *Excerptorum* autem *Utilitas* vel eſt *Propria eſſentialis*, & peculiaris, vel *Accidentaria* & *communis*. *Propria & eſſentialis* eſt.

I. *Memoriæ Subſidium* longe optimum. Quandoquidem & *cumulate*, & *promte*, & *omni tempore*, per omnem vitam, *omnia de quovis argumento enotata* nobis hac ratione *recordationi* noſtræ *ſiſtuntur*. Unde *memoriæ ſubſidiariæ* rectè vocantur; & *pars* etiam *memoriæ artificialis* à quibusdam plane *conſtituuntur*. Cumque *nulla memoria naturalis*, imò nec *arti-*

artificialis eo usque ſe extendat, ut *omnia per omnem vitam pro lubitu repræſentet*: imo *naturalis* etiam *memoria ætate, morbis* corporis & animi variis, nec non peregrinationibus, & *occupationibus* aliis varie minuatur: *Artificialis* autem *fere tantum ad certa* quædam, *per breve tempus*, & ſi valde numeroſa quandoque recitanda profit, ac adeo, vel ipſis ejus doctoribus monentibus, *caute uſurpanda*, ne capiti noceat. v. *KNITTEL Viæ Reg. part. ult. praxi.* 7. p. 380. & de præcipuis omnibus hujus artis auctoribus atque uſibus pereruditè diſſerentem Clariſſ. *MORHOFIUM polyhiſtoris* ſui *ſane curioſiſſimi* lib. 2. c. *VI.* p. 371. & ſeqq: hinc ſequitur omnino, quemlibet eruditionis diffuſæ variæq; cupidum, excerptis aliquibus indigere. Qua de re pluribus agentes videantur *DREXELIUS l.* 2. *KECKERMANNUS Conſilii de L. C. princ. p.* 2. *Col.* 1. *TITIUS* §. 1. *c.* 4. *STUBELIUS c.* 1. §. 12. & *c.* 2. §. 7. *UDENIUS c.* 1. *toto.*

2. *Præſtare vicem librorum*, imprimis *rariorum, pretioſorum*, vel *magnorum*, ex quibus pauca nobis profutura ſint, ut adeo neque comparandis illis ſumtuoſè, neque moleſte circumferendis ſit opus. Vide *DREXELIUM l.* 1. *c.* 9. *p.* 75. & 79 unde non tantum

memoriâ parum valentibus,
vel naturâ, vel
Senio,
Morbove corporis aut animi,
vel *Occupationibus* &c. ſed
Pauperibus etiam, &
Peregrinantibus, maxime in tanta hodie librorum varietate, valde neceſſaria erunt excerpta.

Accidentaria utilitas multiplex admodum eſſe poteſt v. g.

1. *Attentionem augere:* dum quid & qualiter excerpere velimus cogitamus: vide *DREXELIUM l. 1. c. 9. p. 73. SCHEFFERUM c. 11. §. 2. p. 129.*

2. *Memoriam juvare*, per attentionem illam & enotationem: unde aliqui deſcripſerunt huic fini auctores ſibi valde caros. Vide *SCHEFFERUM l. c.* & *DREXELIUM* p. 74.

3. *Repetitionem faciliorem efficere*, ſeparatis melioribus à reliqua maſſa. *Alias utilitates vide* apud *citatos initio hujus §.* & imprimis *STUBELIUM c. 2. §. 6.* quas ut *communes* cum omni in ſtudiis diligentia, vel alioqui nimis obvias aut longius petitas, ſtudio prætermittimus.

II. Præter haſce rationes notari merentur *Auctores commendantes excerpendi artem atq; induſtriam.* Quales ſunt præter Auctores ipſos, *qui de Arte hac ſcripſerunt:* quorum fere nullus non ejus etiam encomia recenſet, *aliique* plurimi v. gr. *ARISTOTELES II. Rhetor. c. 22. & 23. CICERO in Bruto*, repræhendens Cælium Curionem, quod nullas memorias excerpſiſſet. *ISOCRATES in Oratione ad Demonicum. LUCIANUS* in *Dialogo Lexiphanes. LUCRETIUS PLINIUS, GELLIUS, QUINCTILIANUS, Inſtitut. L. X. c. 1. SENECA Epiſt.* 2. 84. & 108. quem medium locum exſcripſit ad verbum *MACROBIUS Saturnalium* L. 1. Quibus addi queant *ex recentioribus* innumeri, partim jam Scriptoribus hujus argumenti ſuperius laudatis allegati, v. gr. *DREXE-*

LIO

LIO L. 1. c. 3. usq; ad c. 10. *KECKERMANNO Manuductione ad Philoſoph: Pract. c. 2. p. m.* 1700. *STUBELIO c. 1. §, 7. & c. 2. §. 3. 4. & 7.* Partim alii etiam. v, gr. *SCHRADERUS in commentariis ad Rhetorica Ariſtotelis* paſſim. *STRIGELIUS orationum Tom. 2. p. 224. Franciſcus PICCOLOMINEUS de rerum definitionibus p. 4. Chriſtiani WEISII* Politiſcher Redner *p.* 561. Et nuperrime ſummo Reipubl. litterariæ bono editus *MORHOFII* Profeſſoris Kilonienſis celeberrimi *polyhiſtor* elegantiſſimus *lib. 2. c. XXI.*

Non deſunt etiam plurimi *exemplis ſuis* inſuper *hanc induſtriam commendantes.* Videlicet omnes illi *qui Collectanea ediderunt.* Quorum inter præcipuos ſunt, *ARISTOTELES* libro *de mirabilibus*, & *Oeconomicorum* 3. ac *Theſium* libris laudatis *SCHRADERO comment. in illius Rhetor. l 1. c. 2. §. 13.* Ubi & *THEOPHRASTUS* ejusdem diſcipulus præceptoris ſui exemplum ſecutus commendatur. *ATHENÆUS Dipnoſophiſticis* ſuis. *ÆLIANUS varia hiſtoria. PLUTARCHUS placitis Philoſophorum*, & aliis laudatis *SCHEFFERO de Stylo c. 12. §. 1. GELLIUS Noctibus Atticis*, ubi vide *L. IX. c. 4. L. XVII. c. 11. L. XX. c. 11. MACROBIUS Saturnalibus.* Tot *JCti digeſtorum* libris citati: *PLINIUS uterq;*, uti patet ex *Senioris Hiſtoria naturali. & junioris L. III. epiſt. 5. L. VI. Epiſt. 20. CICERO ad Atticum, Librum collectaneum exordiorum memorans*, & *CICERO FILIUS. L. XVI. Epiſt. Famil. 21.* petens librarium exſcribendis hypomnematis. *SENECA Epiſt. 84. AMMIANUS præfatione ad Categorias Ariſtotelis* de veterum excerpendi communi

muni conſuetudine teſtimonium perhibens. *SIDONIUS APOLLINARIS L. IX. Epiſt.* 9.

Quod ſi *recentiores* velis addere, jam deficiet numerus, tot extant volumina *Locorum communium*, *Adverſariorum*, *variarum lectionum*, *Miſcellaneorum*, *Polyanthearum* &c. Addantur laudati *DREXELIO L. 1. c. 4.* & ſeqq. *TITIO* §. 1. *n. 7.* *UDENIO c. 1. p. 3.* Imprimis quæ de *WOLFFIO* & *ZEILLERO* ibi referuntur. Item *SCHEFFERO c. 12.* hinc inde. Præcipueq; laudato ſæpius, & laudando Clariſſ. *MORHOFIO Polyhiſtoris* ſui lectu digniſſimi *lib. 1. c. XXI. p. 242. & ſeqq.* Quorum aliqua etiam in exemplum ſingularum ſpecierum deinceps nominare non negligemus. Nam, ut ipſe inquit *MORHOFIUS pr. c. XXII. quis recenſeat alia omnia noſtro tempore mellificia, promptuaria, calligraphias, Æraria, Apparatus, Parnaſſos, Scintillas, Flaviſſas, Flores, Florilegia, Miſcellanea, Semeſtria, Otia, Promulſides, Conjectanea, Varias Lectiones, Obſervationes, Dies caniculares, Sylvas, Adverſaria, Singularia præcidanea, Analecta, Dies geniales (quo titulo ALEXANDER ab ALEXANDRO optimum librum edidit, à TIRAQUELLO commentario illuſtratum) Stricturas, Exercitationes, Florum Sparſiones, Spicilegia, Memorabilia, Bene dicta, Laudabilia, Notabilia, Cinnos, Politias litterarias*, & aliis titulis edita ſcripta, in hunc cenſum omnino referenda.

Neq; pauci *pœnitentiam* ſuam *profeſſi* ſunt *publice*, quod nihil excerpſerint, vel non ſatis. v. gr. *STURMIUS L. II. c. 11. de addiſcenda lingua latina.* *BARTHOLINUS de legendis libris diſſert. 6. p. 189.* *CA-*

SAUBO-

SAUBONUS in Epiſt. quapiam vehementer dolens, quod ex libro quodam Bibliothecæ regiæ nihil excerpſerit, *SECKENDORFS* Chriſten-Staat *præf. circa medium.* *Quanti* vero *ſua fecerint excerpta nonnulli*, vide apud *TITIUM* §. 1. *n. 10. p. 6.* adeo ut non niſi cariſſimis ſuis ea vel monſtrare ſuſtinuerint. *LIPSIUM* etiam *invidiæ* non obſcure *accuſat, poſt DREXELIUM TITIUS*, in *concluſione operis ſui n. 11. p 494.*

Quæ omnia nos admonere debent, ut non minus induſtrios præbeamus nos circa literarios, quam rationarii circa nummarios theſauros colligendos: ne cum Rege ſapientiſſimo ad formicas etiam & apes ablegemur, ſed potius officia promi condi, quæ *SCHRADERUS* ex L. 1. *Oeconomic. Ariſtotelis* c. 6. imitanda commendare ſolebat, exerceamus.

§. 6. OBJECTIONES contra excerpendi artem, aut induſtriam, SOLUTÆ.

HIſce omnibus non obſtantibus, *objectiones* nihilominus *variæ* formantur aliquibus, tum *contra neceſſitatem* hujus *artis*, tum contra ipſam *excerpendi* diligentiam.

I. Artem nullam *excerpendi* qui volunt agnoſcere, putant *cujuslibet ingenio & arbitrio* relinquendum eſſe, qualiter ſua formare velit excerpta, tanquam placitura eo magis, quo magis arbitraria ſunt excerpenti. *Verum* præterquam quod *aliqui*, maxime rudiores & juniores, *ne quidem poſſint* aliquem commodum excer-

pendi modum ſibi ſtatuere, ad ætatem vero & prudentiam aliqualem pervecti, *non illubenter* ſint *alienam experientiam & prudentiam* in Conſilium *adhibituri*: non debemus paucorum plus æquo ſibi fidentium temeritati hoc dare, ut artem omnem abjiciamus. Quæ ipſa *non parum electionis & arbitrii*, in tanta copia modorum & formarum excerpendi etiam *relinquet*, *neglecta* vero inutilem confuſionem, & imprimis viſis aliorum ordinatis artificioſe compendiis, *nauſeam atq; pœnitentiam præpoſtere collectorum* indubitato *excitabit*.

II. *Excerpta* ipſa *plane qui impugnant* atq; vetant, fere omnes pigritiæ ſuæ velum tantum aliquod prætendunt, ſed valde tranſparens. Nam *aut*

1. *Fallacia accidentis* ob *præpoſterum excerptorum uſum* ipſa *damnant* excerpta: quando *memoriæ damnum metuunt*, ſi nimis excerptis credatur.

Quemadmodum fere plerisq; accidit ad C. Julii *CÆSARIS* effatũ, *de bello Gallico lib. 6. litteris confiſos minus memoriæ ſtudere, ut præſidio literarum diligentiam in perdiſcendo ac memoriam remittant.* Unde & ex *PLATONE QVINCTILIANUS L. 11. Inſtitutionum Oratoriarum c. 2.* notat, *obſtare memoriæ literarum notas*, Quo prætextû etiam uſum *Franciſcum GENTILETIUM* refutat optime *KECKERMANNUS Conſilii Logici c. 1.* unaq; cum illo *DREXELIUS L. 1. c. X. p. 90.* Et ſane quam evidentiſſimum eſt, non eo minus licere nobis lecta præcipua memoriæ mandare, quod eadem excerpſerimus.

2. *Indicibus Auctores ſingulos illuſtrari malunt*, cum

cum *Freinshemio* & aliis enumeratis *STUBELIO* c. 1. §. 15. p. 18. Sed & hi optime jam refutati ſunt *SCHEFFERO de ſtylo c. 12. §. 7.* & *TITIO §. 1. n.* 8. Quibus nihil addimus, niſi hos ipſos indices, ſpeciem jam excerptorum, quamvis imperfectam valde facere.

3. *Plane damnantes excerpta pigerrimos ſe monſtrant*, neq; minus *indigos* eorundem, *vel* (1) *Supplere* ſuam *negligentiam ſatagentes notitia* magna *Scriptorum*, qui de qualibet materia prodierunt, quæ tamen nec ipſa ſine excerptis comparabitur, nec illorum, quæ ſparſim notabilia occurrunt copiam nobis præſtabit: *vel* (2) *Alienis indicibus*, adeoq; ſpecialibus excerptis propriam inopiam levare fruſtra quærunt, uti recte docet *DREXELIUS L. 1. c. X. p. 90. & l. 2. c. IX. p. 157.* (3) *Inepta exuſatione* varia potius pudori ſuo prætextum, quam emolumentum aut veniam apud cordatos quærunt, v. gr. quod *multi* etiam *docti nihil excerpſerint*, & maxime *antiquiores*: vid. *DREXELIUM p. 85.* & 86. Quod *libros edituri non ſint*: vide *DREXELIUM p. 82.* *Caſus varios excerpta nobis eripere poſſe*: vide *DREXELIUM p. 87.* *Circumferre illa ſecum ſit moleſtum*: vide *DREXELIUM p. 88.* Enotare multa *temporis inopiam* ſit pariturum. Quæ cuncta partim *DREXELIO* jam *locis citatis L. 1. c. X.* ſufficienter ſunt refutata, & *ingenioſæ patrocinia pigritiæ* rectiſſime pronunciata: partim *ex ſequentibus* etiam *medelam* ſuam *accipient* eam, quæ & temporis & moleſtiæ prætextum valde imminuat, ſi non plane tollat. Alia levioris adhuc

huc momenti & longius petita, vide apud *STUBELIUM c.* 3. & Clariſs. *MORHOFIUM Polyhiſt. lib. 1. c. 21*, ubi *Mareſium* & *Sorellum* optimè refellit.

§. 7 UNIVERSALISSIMA PRIMA Præcepta hujus Artis.

Hiſce de natura & attributis excerptorum theoretice prælibatis, ipſam artis praxin aggredimur, illius præcepta quantum fieri poſſit ordinate ſolideque ſuis è principiis derivata propoſituri.

Et vero ſtatim ex ipſa definitione excerptorum *tria* nobis *univerſaliſſima*, & totius artis *prima præcepta* promanant, ex quibus ſpecialiora deinde ſint derivanda. Ea vero in hoc conſiſtunt, ut *finis* ſummus excerptorum *mediis* accommodatiſſimis *obtineatur*, adeoque præſtetur nobis per excepta.

I. *Recordationis* ſive repetitionis (1) ratio certa ſive *certitudo* ea, ut *omnia* quæ expedit excerpi omnis generis poſſint eo, quem elegimus, modo excerpendi, excerpta verò *indubitato iterum invenire* nec fruſtra quærere.

Quod *requiſitum omnes æque ſpecies* excerptorum habere debent, ſiquidem laudabiles cenſeri debeant.

(2) *commoditas*, ut nimirum *ſine multo labore, quovis tempore* ac *loco, citra tædium & nauſeam* reperiri poſſit illud quod excerpſimus.

II. *Enotationis* ipſius *commoditas*: ut *citra jacturam*

ſturam magnam, fructuque ſuo non abunde penſandam *laboris*, *temporis*, *ſumtuum*, excerpantur ea quæ lubet.

Et *hiſce* quidem *binis* [*different ſpecies excerptorum* diverſæ diverſis gradibus: dum *commodiorem aliæ enotationem*, aliæ *relectionem* & repetitionem ſint *habituræ*.

Patet autem *poſteriorem commoditatem* omnino *præferendam* eſſe priori, *quoties* quidem *utramque ſimul præſtare non licet*. Quandoquidem ea

(1) *Prior tempore*, adeoque ni præſtetur, tædio ſuo & difficultate ipſum excerpendi ardorem minuente, nos altero etiam fructu ſit privatura.

(2) *Certior* eſt, tanquam præſentior, dum interim an relecturi ſimus omnia quæ excerpſimus, in dubio ſit: forte vel memoria in ſe feliciori, ac enotatione inſuper adjuta, ſufficiente, vel non eveniente caſu, quo indigeamus enotatis, uti varie per temporis & rationis ſtudiorum immutationem contingere poſſit.

(3) *Gravior* videtur *incommoditas oppoſita*: quandoquidem Enotantes occupamur jam lectione & meditatione ac deſiderio fortaſſis etiam continuandi vel abſolvendi ea ex quibus enotamus, nondum evidenter certi de magnitudine uſus futuri excerpendorum: repetentes autem illa dein, excitamur etiam indigentia præſente inquirendorum, ad aliquod tædium patientius devorandum.

§. 8. UNIVERSALIA præcepta GENERALIA, & ABSOLUTE SPECTATA, ratione materiæ, quantitatis formæ internæ, externæque, in titulis formandis, ordinandis, & ſubordinandis.

UT hæc tria obtineantur: notanda ſunt porro *generalia præcepta* excerpendi ſequentia, quæ ex illis promanant.

I. *Materiæ vel Qualitatis*, in quibus illa differat vario reſpectu, *generatim* ſciendum

(1) ex qualibus

(2) qualia ſint excerpenda. *Circa prius* tenendum: Quod excerpenda ſint *omnis generis: ſive inventa à nobis* ipſis, qua *experientia*, vel *ſenſuali*. v. gr. viſa,

audita:

vel *Intellectuali*. v. gr. cogitata, de ipſa noſtræ animæ natura & operationibus:

vel *Utrumq;* qua argumentando ex illis *deducta* etiam *univerſalia*, æque ac *ſingularia* ad *cogitationes*, *res*, *dictionesv.* pertinentia, de quo diſcrimine vide *cap. III, toto* plura.

ſive ſint *ab aliis accepta* docentibus, aut *viva voce* aut *ſcriptis libris*, vide STUBEL. c. l. §. 8.

Et li-

Et *libri* quidem ſtudioſis quanquam *omnis generis* poſſint aliquo modo utiliter evolvi, cum, uti *PLINIUS* ſolebat dicere, *nullus* ſit *tam malus liber, qui non aliquid habeat boni:* maxime tamen in tanta librorum copia, cum poſſibile non ſit omnes legere vel excerpere, *ſelectus* erit habendus, & excerpendum *præcipue ex melioribus & probatioribus,*

celebrioribus,

rarioribus,

ſpiſſioribus,

pretioſioribus.

utpote unde potiſſimam utilitatem excerptorum §. V. expoſitam magis obtinebimus. v. *DREX. l. 3. c. 8.*

Quod ad poſterius, qualia nêpe ex hiſce talibus omnis generis lectis,

auditis,

inventisve potiſſimum *excerpi debeant*, tenendum: Quod excerpenda ſunt ex hiſce ſola *notatu digna*, id eſt utilia futura, quamvis non quotidie, quæ & ipſa tamen, cum non ſemper recurrere poſſint memoriæ quando velimus, omnino negligenda non ſunt: *maxime* tamen *rariora,*

elegantiora,

digniora, v. *DREX. L. 2. c. 2. p.* 2. & 3. *SCHEFF. c. 11. §. 3. p.* 130. Habito potiſſimum reſpectu ad nos ipſos, ita ut *primario ad nos metipſos ſolos,*

ſecundario ad alios una,

ultimo loco ad alios ſolos

pertinentia notemus.

Speciatim porro quomodo *Materiæ* cujusque

v. gr.

v. gr. ſcientiarum univerſalium, hiſtoriarum, dictionumve cujuslibet generis excerpta varient, applicatione generalium excerpendi præceptorum ſpecialius facta, *cap. III.* dicitur. Ubi & generatim *varia*,

vel *unum corpus*,

vel *plura corpora*, (qualiscunque tandem formæ, in volumen, faſciculumve, &c. redacta) excerptorum confici poſſe, differentiis hiſce generalibus expoſitis ſpecialius dicetur, cum ratione materiæ illa ſint ſecernenda.

Ad materiam verò excerpendorum etiam ipſa *allegatio* referenda *Auctoris*, unde excerpimus: accuratè & præcisè maximè facienda, usque ad minimas partes, & quidem præcipuè illas, quæ in editionibus omnibus ſunt eædem, quas liceat fixas cognominare, puta libros, capita, ſectiones, paragraphos, & ſubdiviſiones alias: neque minus etiam ſimul, quoties fixæ partes excreſcant, addendo variabiles, foliorum, & paginarum. Quo caſu editio ſimul notetur, & ſi lubet, ex monito *ANONYMI Galli c. 1. §. 4. n. 8.* memorati, ſumma foliorum totius libri; ut per regulam proportionum liceat eam invenire quoque in aliis editionibus, non nimis, (aut ipſius ſcripti mutatione, inſertis, additisve materiis textus aut commentationum &c. aut ſpatiis vacuis) inæqualiter variatis.

E. gr. Pone me ex libro edito in forma uti vocant octava, excerpſiſſe, qui ſit foliorum forte. 460. Eundem in duodecimo editum eſſe foliorum 575. habebit ſe ut 460. ad 575. ita pagina unde excerpſi, v. gr. 120. ad 149. præter propter.

II. *Quan-*

II. *Quantitatis Reſp. modica* debent eſſe excerpta, & quanta *ſufficiant* tum *materiis* omnibus cujuscunque generis in ea referendis,
tum *ſcopo* finique, &
viribus excerpentis.

Nam *qui plura* potius quam pauciora excerpi volunt *pigrioribus* : *qui pauciora* excerpere conſulunt, *laborioſioribus* magis conſulunt. Nos in communi omnibus conſultum volumus. Si quis tamen medium tenere deſperet, is utique *minus peccaverit, pauciora quam plura juſto excerpendo*. Illa enim ratione ſolus excerptorum finis: hac vero inſuper etiam oleum & opera, tempusque intercidet, ac *inutiliter peribit*.

Huc pertinet etiam *diſcrimen excerptorum* notabile in eo poſitum, quod aliqua *excerpenda* ſunt
Verbotenus, aliqua
Contracte & abbreviando,
ſive *Lemmatice* tantum, de quo *cap.* II. *Sect.* II. & III. agetur

III. *Formæ Reſpectu*, tum *Internæ*,
tum *Externæ* variatio excerptorum maxima oritur, ſicut omnis alterius materiæ cujuscunque. Et quidem internæ formæ Reſpectu præcipue, tanquam præcipuæ partis in hac arte, ſicut in qualibet alia, ubi ſicut in omnibus forma interna, ſecundum tritum illud Philoſophicum, dat eſſe rei.

Formæ Interna hæc in ordine conſiſtit: qui ut alias memoriam ſive recordationem omnem, ita & repetitionem noſtram imprimis adjuvabit. *Or-*

Ordo hic ſitus eſt *in connexione excerpendorum*, vel (1) *arbitraria* tantum, & ad excerpentem relata, dum

aut *repetitione* cum primis hic commendabili, & ſi non ſæpius, certe hebdomatibus, menſibus, annisve ſingulis curioſè *facienda*, nobis eſt impreſſa. v. *cap.* II. *ſect.* 8. & *DREX. l.* II. *c.* 2. *§.* 2. *SCHEIF. c.* 2. *§.* 7.

aut *Auctoris* quem ſequitur & imitatur, *notitia* memoriaque exacta nobis inhæſit. v. gr. ſiquis ad N. Teſtamentum ad Corpus Juris, ad Ciceronem, Virgiliumve, aut alium forte ſibi memoriæ mandatum, nec è manibus deponendum librum, annotet ſua excerpta: vel

(2) *Naturali* aliqua *ſerie* ad excerpendorum nativam cohærentiam, arte ſi ſit opus adjuvandam conſtituta, & adornata diſtincte ordinateque, ut præ aliis *accommodata* ſit ad juvandam memoriam, vel

Judicio, vel
Imaginatione, vel
Vtráq; facultate memoriæ

ſubſerviente.

(3) *Mixtâ*, ſive

compoſitâ, ſerie, *ex naturali & arbitraria* ſimul, adhibita. Quarum tamen quælibet oportet ita ſit conſtituta, uti modo diximus. Hæc conſtitutio & ordinatio in quibus univerſaliſſimis principiis poſita ſit, quoniam exponere nobis aut nequivit aut invidit *DREXEL. L. III. c. 10. p. 278.* una cum reliquis Auctoribus hujus artis, & tamen cardo negotii præcipue in ea vertitur, tanto magis operæ pretium fuerit, hic exactius ea de re aliquid definire, Quare

Quare nunc primo quidem *Generatim*, deinceps vero etiam ſequentibus capitibus *Speciatim* magis id exequemur.

Generatim itaq; *conſiſtit* hæc *res tota* 1. *in formatione titulorum diſtincta*, quos antiqui χρείας etiam nominabant *v. SCHEFF. c. 12. §. 2.* & *Locos* (unde *Loci communes* & Excerpta pro ſynonymis haberi cœperunt). Nobis *Tituli primarii* audient, majoris diſtinctionis ergo. Quandoquidem neceſſaria plenioris ordinis ratio exigit plerumq;, ut facta iterum *ſubdiviſione* apta horum titulorum primariorum, qui evadent hac ratione *ſuperiores*, alteri porro *tituli* oriantur *ſecundarii* & *inferiores*, qui etiam aliquibus, barbare licet, *Subtituli* dicuntur. 2. *in Collocatione apta*, ſecundum prius & poſterius. 3. *in Enotatione concinna* titulis *ſubſcribendorum*.

Titulorum utrorumq; optima fiet 1. *diſtinctio* (1) Quantum *ad judicium* inde *adjuvandum*, ordinarie plurimum ſectanda, ita, ut ipſi *tituli modicam habeant univerſalitatem*. Talem videlicet, ut *univerſi quidem omnis generis materias* ad illud excerpendi propoſitum pertinentes *exhauriant*, *ſinguli* vero *copiam contineant* eam, *quæ facile perluſtrari poſſit. v. Cap. II. Sect. 2. §. 2. & SCHEFF. p. 138.* & 140. Quod *ſubdiviſione* pro materiæ natura facta impetrabitur. Ita præivit in ſententiis *MAGIRUS in Florilegio*, ſane quantum ad hoc, *LANGIO*, *NANNIO* aliisq; prioribus *præferendus*.

Gæte-

Cæteroqui non eſt accredendum *VDENIO c. 5. p. 86.* Titulos noſtros *ſemper Subjecta excerpendorum nunquam* prædicata eſſe debere. Quandoquidem *æque & amplius* ſæpe *noſtra intereſſe poteſt, ut uni PRÆDICATO multa Subjecta, quam uni Subjecto multa Prædlcata colligamus.* v. gr. Si colligat Theologus aut Philoſophus moralis ſigna vitiorum, aut virtutum, item remedia: quemadmodum Medicus morborum, Politicus rerum publicarum corruptarum. Ubi ſemper ſubjecta plura uni prædicato ac titulo ſubjicienda colligentur. Adde quod *qualibet notio non* plane *individua reſpectu latiorum* evadet *Subjectum*, *reſpectu anguſtiorum* vero *Prædicatum*.

(2) Quantum *ad Imaginationem juvandam*, diſtinctio, minus quidem ordinarie, quandoq; tamen, in rebus excerpendis aut perſonis excerpentibus non æque judicii ac imaginationis vim admittentibus, facienda erit. Quo caſu *proderit* etiam, ſi fieri commode queat, *titulis aliquid ineſſe quod affectum, delectationis*, vel *admirationis*, & hinc *attentionis excitet*. Ex hoc fundamento liceat *quandoq; titulos inſolentes* aliquos efformare, quales ſunt *DREXELIANI* non pauci: v. gr. *uvæ ambulantes*, &c. Qui titulus ſane non poterat facile quid præter eam unam hiſtoriolam apud ipſum legendam capere, adeoq; ſatis erat particularis & anguſtus.

Aliis

Alius contra ſub Titulo, *Maxilla Simſonis*, media inepta ſucceſſu tamen non deſtituta ſatis copioſa continere poterat.

(3) Quantum *ad judicium & imaginationem ſimul*, facienda titulorum diſtinctio, mixturam ſuperiorem & compoſitionem continebit: ita ut *potior* ſit *ordinariò judicii ratio*, ni rerum & perſonarum, obſtet modo dicta exceptio. Quo caſu, vel ſecundarii, vel primarii, vel utriq; tituli, quandoque variè concipientur.

2. *Collocatio*, ſeu proprie dicta ordinatio titulorum ita diſtinctorum (1) Quantum *ad judicium* memoriam juvans, *Methodica* nobis *dabit excerpta*, judicioſe formatis titulis quadrantia, cum intellectuali merè, tum ſenſibili ordine concipienda: de quibus *cap. II. Sect.* IIX, partite & enucleate dicetur.

(2) Quantum *ad imaginationem*, curandum, ut *populari*, ac quodammodo *in ſenſus incurrente*, vel alias facile, prompte, ac ſua ſponte, imò vel invitis ſæpenumero etiam nobis obverſante *ordine, tituli concipiantur*, atq; *diſponantur*.

Ita 1. *Alphabeticus ordo* hic ſeſe commendat, item

2. *Methodicus ſenſibilis*, quem ſuppeditat v. gr. *Series temporum*,
Proportio ſenſibilium magnitudinum, aut figurarum &c. Horumve defectu tandem,

C 3. *Ad-*

3. *Adverſarius ordo*, per alphabeticum medium adjutus, aut vero

4. *Arbitrarius mere* alius quivis ordo ſuccedet, qui *Commentaria* nobis *excerpta* præſtat. *Sectione IX. cap. prox. ſeq.* exponenda.

(3) Quantum *ad imaginationem & Judicium ſimul juvandum*, Mixturâ factâ, ordinabuntur excerpta, *ſi tituli* partim methodici, partim vero imaginarii. i. e. alphabetico ſimul, &
adverſario partim, atq;
commentario ordine formentur. Ubi apparet quod à potiori fieri poſſit denominatio; quodq; adeo ad judicium potius intelligantur ordinata excerpta.

Specialius de hiſce excerptis
Adverſariis,
Alphabeticis,
Methodicis,
Commentariis, eorumq; mixtura *Cap. II. Sect. VI. VII. IIX. & IX.* agetur, quandoquidem; nonniſi natura ſingulorum prius intellecta, compoſitionum atq; mixturarum ratio intelligi poteſt.

Interim generatim porro notandum hic venit, quod *tituli* quidem *principes* ſive ſuperiores *judicio* potiſſimum: diviſiones vero illorum ſive *ſubtituli*, etiam *imaginationi* pro re nata *accommodentur* rectius. Ratione videlicet in aperto poſita. Quoniam principes tituli pauciores, facilius memoria, & imprimis per judicium adjuta, ſublevabuntur, quantum eſt opus, ita ut imaginationes inſolentiori, & à Judicii acumine, (ubiq; ratione utentibus præferendo) magis alieno, non æq; indigeant.

Con-

Confectis ita & ordinatis *titulis*, vel *ſingulatim*, prout occurrunt per intervalla, vel *univerſim præparandis*, priusquam excerpere quid ſub iis inſtituamus omnibus aut potiſſimis: ſuccedet demum,

3. *Enotatio*, quantum fieri poteſt concinna, & prudens, ſubſcribendorum cuique titulo proprie dictorum excerptorum, propter quæ ipſi tituli ſunt adornati.

Circa eam itaq; rectè faciendam *notanda* ſunt præcepta ſequentia.

(I.) *Conſiderandum attente, ad qualem titulum* vel *Primarium*, vel *Secundarium*, id quod *excerpendum* habemus *pertineat* maximè, commodiſſimeq; referatur, ita, ut ſub eodem requiri & reperiri ſemper commode poſſit.

(II.) *Si dubium oriatur de titulo*, quorſum aliquid referendum ſit, ac forte non incidat ſtatim titulus congruus maxime, dum v. gr. Non vacat, aut non libet, intento lectioni & meditationi, conſiderare ſatis: potius *differenda*, quam nocitura poſtmodum feſtinatione præcipitanda erit *enotatio*.

Interim vero *conjici* primum *tumultuarie poterit* hoc, de quo dubitatur, *in ſchedam memorialem*, aut *libellum* uti vocant *rapſodicum*, præ manu ſemper habendum: *Poteruntq; libelli* aut *faſciculi ſchedarum* etiam *dividi pro excerptorum voluminibus* maxime *materialibus* v. gr.

Juridicis,
Philoſophicis,
Hiſtoricis, ut commodo deinde tempore homogenia quæq; digeri ſimul poſſint, quando maxime opportunum eſt. *v. DREX. l.* III. *c. 7. KECKERM. c.* 11. *p.* 4. & 5. Quod ſi hoc *etiam* laborioſius videatur, *poterit* uno *aliquo ex ſignorum* §. 3. dictorum genere, *in ipſo Auctore*, quod legitur excerpendum, ita *notari*, ut facile deinde, commodiori tempore, evolventi eundem iterum Auctorem, excerpi poſſit, animo huic rei ſoli tunc intento.

(III.) *Si ne ſic quidem ſatisfaciamus nobis in aſſignando titulo* convenienti, *præſtabit ad duos aut plures* etiam titulos aliquid valde notatu dignum *referre*, quam periculum ſubire, non reperiendi hoc ipſum, ubi ſit opus. Maxime ſi per modum indicis tantum, aut certe lemmatice, non ad verbum excerpatur.

Alias *uni titulo, ex potiſſimis* judicatis, *ſubſcribendus* erit *textus integer*, *ſub reliquis remisſione* vel allegatione lemmatica ſola *facta. v. SCHEFF. p.* 153. *TITIUM p.* 385. §. 41.

(IV.) Omnium autem artificioſiſſimum erit, *ſic adornare* noſtra *excerpta*, *ut immutari aliqua in iis ſemper adhuc poſſint.* *Titulos* videlicet ſingulos, aut plures, citra jacturam reliquorum *inſerendo*, aut *expungendo*, aut *contrahendo* plures in unum, vel *dispeſcendo* unum in plures, *ordinemve mutando*. Imo

Imo & circa titulis *ſubnotata* mutationem faciendo, & aliorſum aliqua ſi libuerit referendo: *prout ætate*, vel uſu & exercitatione rerum, *peritia* creſcens, vel

mutato fine excerpendi, *mutandum judicium*, vel alias poſterior dies priorem docens *quæpiam monuerit corrigenda*.

(IV.) *Huc* autem maxime *conducent* ea, quæ reſtant nobis conſideranda *Formæ externæ reſpectu*. Unde vel ipſo adſpectu ſecernendæ adeo nobis oriuntur, vel *ſchedæ* meræ, vel

ligata ex hiſce *volumina*, vel

mixta ex utriſq; horum excerpta: de quorum ſingulis iterum *cap. II.* dicetur *Sect. IV. & V.* atq; *XI.* partitè, ac *ſpeciatim*. Nunc *generatim* notaſſe hic de univerſis conveniet, quod cujuscunq; harum formarum Excerpta quæq;, ſi rectè ſe habere debeant, ſuam exigant curam & attentionem præſtandam,

qua *nitori*

qua *commoditati*.

Nitori quidem, *ut cum delectatione repetantur* ac evolvantur, vel certe ſine tædio & nauſea, nedum impedimento etiam ipſi repetitioni & meditationi, facilius quam credas, ex obſcuritate, fœditate, vel inconcinnitate ſenſibus externis objecta, ſuborituro. Cum è contrario ipſam mentis alacritatem & perſpicaciam, pulchritudine atque facilitate lectionis conſtet adjuvari. Quo faciet (1) *elegantia*, &

(2) *Ordo concinnus Scripturæ*, quæ utraque in *Pontani*, aliorumque

excerptis commendat *DREX. L. 1. c. 5. & 9.* & ad hoc ipſum neceſſaria (3) *Spatia linearum*, ſive verſuum ſingulorum (4) *margineſque*, ad diſtinctionem uſus non minus, quam ad durationem etiam, ſive inviolabilitatem ſcripturæ profuturi,

ſive compacti ſint libri excerptorum,

ſive ſolutæ ſint Schedæ, quibus continentur. Tum etiam (5) Ipſa *Schedarum aut librorum* compactorum *decora* & *uniformis figura*.

Commoditati ſervient excerpta

(1) in *forma portatili*, qualis ordinario erit *quarta*, *ib. TITIUS §. 2. KECK. 4. c. 2.* ibique *STURMIUS.* Niſi peculiaris ratio aliud exigat v. gr. *copia materiæ* exſcribendæ, vel *characteris*, excerpenti aſſueta vel ob viſûs imbecillitatem neceſſaria *magnitudo*, quorum quæque *majorem formam* ſuadere liquet: ſicuti è contrario *minorem formam* ſuadebunt, continua ſecum portandi, forte peregre plane, inevitabilis neceſſitas, occultandi etiam ſtudium &c.

modo minorem modo majorem formam ſuadere poſſit alia ratio, uti apparebit in ſpeciebus ſingulis deinceps. v. maximè de Commentariis Excerptis *Sect. IX. c. 2.* dicta:

Voluminibus paucis,
vel *Schedis*, earumque
Faſciculis, *numero* ac
mole modicis. (2) diſtinctione facta, pro naturali rerum excerptarum congruentia, vel varietate, & prout ad uſum unum eundemque,

vel

vel diverſum ſimul, aut diverſis temporibus adhibenda venient. v. gr. ſeparando Theologica Philoſophicis, Medica, Phyſica, Mathematica, &c. à Practicæ Philoſophiæ præceptis. &c. (3) *Titulis primariis* & *ſecundariis* horumq; *Partibus notabilioribus literarum magnitudine* & *forma*, *marginum* item & *linearum ordinisq;* ſcribendi ac *ſignorum* deniq; §. 3. memoratorum varietate appoſitâ diſtinctis v. *SCHEFF. c. 12. §. 10. p. 149. KECK. p. 15. b.*

Utriq; vero, *tum commoditati* nempe, *quam Nitori ſimul conducet*, ita excerpta formare (1) ut commodè & diſtinctè ſub conſpectum cadant evolventi. Quod fiet, ſi *modicæ magnitudinis charactere* ſcripta, *ſpatiis diſtincta congruis*, quod *ad lineas* ſive verſus, *titulosq;*, *foliis* etiam *plicando*, vel *paginis* per *lineas* ductas *diviſis*, ſeparentur: in primis *ad* minores titulos vel *ſubtitulos*, uti vocavimus, diſtinctim conſpiciendos. (2) *ut partes iisdem inſeri*, vel *eximi poſſint*, prout deſcribi vel à nobis, vel ab amanuenſe diſtinctius ornatiusve debeant. Quod ipſum apparet *in Schedis ſolutis*, vel certe *non nimis arcte compactis*, atq; ligatis, rectius procedere. Quemadmodum & alias *volumina ſcriptoria*

non debent nimis arcte, imprimis glutine coagmentatis dorſo foliis compingi, ob hanc ipſam inſerendi aut eximendi rationem, ſed nude ligata potius (nur geheſſtet) haberi.

§. 9. UNIVERSALIA PRÆCEPTA SPECIALIA reſpectu circumſtantiarum.

HActenus generalia præcepta. Quæ cum notabile prorſus diſcrimen recipiant varium reſpectu circumſtantiarum; aliquid etiam de applicatione ad illas facienda univerſim præmonere operæ pretium erit. Cum autem *ſeptem* vulgo *capita circumſtantiarum* numerentur, trito etiam verſiculo compræhenſa:

Qvis. QVID. Ubi. QVIBUS AUXILIIS.
Cur? QVOMODO. Qvando.

Illud *quid* ſeu materia, & *quomodo*, ſive Forma, cum totius artis ſummam potiſſime conſtituant, ſequentibus binis capitibus materiam præbebunt: quorum priori etiam, *Quibus auxiliis*, ſive *ſociatam excerpendi rationem* attingemus. Ad *reliqua* quod attinet

I. *Finis* reſpectu, quem in individuo ſibi quisq; varium, aut bonum aut malum, variis gradibus præfigere poſſit: *generatim* illud eſt obſervandum, quod eſt in proverbio: *Oculos ad metam. v. DREXEL. l. 2. c. 2. §. 7. SCHEFF. c. 12. §. 3. HILSEM. Method. ſtud. Theol. p. 262. SCHRAD. Mſſ. 5. 1.* Adeoq; (1) *Alia atq; alia ex eodem*

eodem Auctore erunt excerpenda: *Prout* hoc aut illud *ſtudii genus inde adjuvandum* pro fine habeas *v. SENEC. Epiſt. 138.* (2) *Copia* etiam hoc reſpectu *minuetur* aut *augebitur*: dum *plus* ille qui *Theoriam*,

minus qui *Praxin* ſolâ *ſectatur*, excerpere debet. (3) *Aliter* excerpet *in vita Scholaſtica* ætatem acturus, *librosve ſcripturus.* Aliter *vitam politicam, Practicamve quamvis* victurus: non modo quantum *ad* ipſos *titulos primarios* conſtituendos, & iis ſubnotanda:

ſed & quantum ad *ſubdiviſiones*, titulorum fini accommodandas, *v. gr.* diſtinguet aliter *excerpta* eadem *hiſtorica*, qui antiquarium uſum ſolum,

aliter qui Prudentiæ Practicæ, vel ſcientiæ incrementum, vel utrumq; inde quærit.

(4) *Aliter univerſale ſtudiorum* ſuorum in excerptis *ſubſidium* quærens, aliter *materiam* unam aliquam *particularem*; v. gr. de

Amicitiâ,
tentationibus,
ſpectaculis &c. elaboraturus.

Ita nunquam ego tantum excerptorum mihi ſcripſiſſem, niſi Vitæ Profeſſoriæ jam à prima ætate me voto quaſi immutabili deſtinaſſem.

Nunquam tantum in re libraria &c. collegiſſem, nihil de illa ſcripturus.

II. *Perſonæ* excerpentis reſpectu, variæ circum-

ſtantiæ, *bonorum*, vel
malorum:
quorum quæque, ut finem ipſum, ita & media maximeq; *vires*, & *indigentiam excerptorum* poterunt *variare*. ita. v. g. pro conſtituenda ratione excerpendi unicuiq; commodiſſimâ, venient *conſideranda*, *bona* vel *mala* (I.) *Animi*, puta *Mentis*, *acutæ* vel *ſtupidæ*. Ita longe aliter, ac alia ſunt excerpenda illi, qui judicio ipſe non valet, quiq; manuductione & informatione idonea caret. *exercitatæ*, *inexercitatæ* *Voluntatis*, morali virtute aliqua vel nulla, hac vel alia præditæ, magis aut minus. Ita aliter pigro, aliter laborioſo, aliter agili, aliter tardo, aliter conſtanti, aliter vago homini excerpetur. Imô nullius non vitiorum aut virtutum generis, depræhendas veſtigia, velut in aliis operationibus notabilibus cunctis, ſic & in excerptis. Quorum proinde naturam, remoræ quoq; vel auxllia, corruptelæ vel emendationes excerptorum indubitatæ ſubſequentur. Quibus minimum, quamdiu radix ipſa vitii nequit extirpari, tanquam germinibus quaſi amputandis erit attendendum. (III.) *Corporis*, v. gr. ætatis, valetudinis, ingenii, & præcipuè memoriæ diſcrimina, variabunt excerpendi neceſſitatem,
materiam,
quantitatem,
formam.

(IV.) *Fortunarum* quoq; reſpectu, variabunt excerpta. Quandoquidem ſane aliter longe ſit excerpendum illi, qui *ob paupertatem* librorum copiam non habet, cuive *memoria eſt imbecillior, occupationesve* ſunt magis diſtrahentes, vel *nunc* vel *olim metuendæ*, quando uſus eorum quæ nunc excerpit ſit ſperandus.

E contrario *pauciora* poterit excerpere, *qui aſſiduâ repetitione in uno ſtudiorum genere verſaturus* eſt, citra negotiorum diſtrahentiûm ſollicitudinem, & copiâ librorum ſemper ad manum poſitæ inſtructiſſimæ bibliothecæ unius, aut pluriûm, abundat.

v. DREXEL. pag. 71. & SCHEFF. c. XI. §. 2. p. 129.

Ita ſanè ſit ineptiſſimus, qui *Nobili*, vel *Principi* planè, velit eandem excerpendi naturam, formam, modum, &c. præſcribere, quàm plebejo, & ſolam obediendi gloriam relictam ſibi habenti. Quippe quæ fortunarum tanta diſparitas, non mediorum modo, ſed finium quoq; rationem ſit totam diſparitate ſumma prorſus affectura.

Quo verò majora & plura erunt hæc diſcrimina, eo etiam applicatio præceptorum erit facienda magis diverſa.

Qualia liquet, tam innumera varietate mixturaq;, poſſe tum ſingula, tum compoſita etiam multo magis, inter ſe differre, ut potius experientiæ, *prudentiæq;*, conſilloq; ſpeciali deſuper formando relinqui, quam univerſalibus præceptis ut compræhendantur tentari debeat hæc diverſitas. Interim vel *meo exemplo* qualicunq;, variatio hæc circumſtantiis variatis multiplex, etiam ex adjecta calci hujus libelli Epiſtola, poterit illuſtrari.

Gene-

Generale tamen hoc *præceptum* etiam hic poterit dari, quod, quemadmodum ex monito *HIPPOCRATIS*, cibus paulo deterior, appetitui verò multo gratior præſtat paulo meliori, valde ingrato: haud aliter etiam circa cibos animi hoſce. *Præſtat ſpeciem aut modum excerpendi aliquanto deteriorem eligi, modo ingenio noſtrò valde placeat, quam meliorem, ſed eidem prorſus adverſantem.* Secus enim, ut nauſea cibos ſalubres revomi faciet: ſic tædium oboriens patientiâ excerpentis majus, omiſſione illorum ac deſertione mox inductâ, commoditatem & præſtantiam quamvis aliam penitus elevabit.

Sane *mihi*, maximè *adoleſcenti*, nulla certior omnium excerptorum abjiciendorum potuiſſet anſa dari, quam ſi contra mei animi propenſionem, ad aliorum ea debuiſſem arbitrium conformare. Unde præſtitit ſane mihi, ſequendo hac in parte ductum meum, ſæpe multumq; fruſtra laboraſſe, quam omninò inde repulſum eſſe. Neq; facile alii ſim auctor, tantum tot generum excerptorum conficere, quantum ipſe laboris inexhauſti, & agilitatis ac ardoris incredibilis, pertinaciæq; cœpta nunquam deſerentis, & ambitionis, non niſi per corporis & animi ærumnas multorum annorum divino beneficio immiſſas, ægre compeſcendæ pleniſſimus juvenis, & aggrediebar, & magna parte perficiebam.

IV. *Loci reſpectu* conſiderandum, *quid* & *quantum valeat ibi*, ac in pretio ſit aut uſu, ubi excerptis ſis uſurus. *Quidve* librorum aut aliorum notabilium *excer-*

pendorum haberi queat illic, ubi agas magis quam alibi. Quod *in primis peregrinantibus* obſervandum.

Ita longè *aliter ipſe domi*, aliter *peregre* excerpſi,ut ex *Epiſtola calci adjecta* cognoſcere licet.

V. *Temporis reſpectu* conducet,generaliter

(1) Excerpendi *initium facere mature*. i. e. *ſimulac judicium* ad hoc requiſitum ſit aliquatenus *confirmatum*, qua *ætate*,

qua *notitia*, aliqua minimum rerum excerpendarum: ita ut de ſelectu excerpendorum, & diſtinctione ſub titulos congruos,ſtatuere recte poſſimus. v. *DREX. l. 11. c. 2. §. 1. TIT. §. 69. p. 487.* Quo ſane conſilio laudabili, me pueriliter nimis æſtuantem anno plus integro cohibebat,beatus *D. Michael KIRSTENIUS*, antequam excerpendi Methodum ſuam dictaret, alias etiam plura, poſt abolenda inordinatè, nimis & ſine judicio compilaturum.

(2) *Continuare conſtanter*,ac aſſidue: *ordinario* quidem *per omnem vitam*, niſi reliquæ circumſtantiæ mutatæ aliud moneant. v. g. locus mutatus ipſam facultatem excerpendi priſtinam immutans, vel finis & ſcopus excerpendi mutatus. *DREX. l. 2. c. 5. p. 235.* *Specialiter* Ratio habenda temporis 1. *Præſentis* in quo ſumus conſtituti, *collati cum ſtudiis noſtris*,ut,cui aptiſſima ſunt,ei potiſſimum impendantur. v. g. majorem attentionem requirentibus *matutina*, ſecundum illud; *Aurora Muſis amica:* & *hyberna*.

reliquis, *pomeridiana*,

Veſper-

Veſpertina enim ut omnibus ſtudiis ita etiam excerptis *incommodiſſima*, ſecus ac *UDENIUS* ſuadet, *c. XI. p. 81.* Etenim & laſſi tunc ſumus, & nulla re magis concoctio læditur, quam ſtudiis nocturnis. Quod ſane magno cum malo ſuo expertos ſcio non paucos, imò pleroſq; illorum, quos novi ſedulo diuq; à cœna ſtuduiſſe omnes. Quare gratias etiam hoc nomine quod agam habeo beato parenti meo, qui, ut Medicus, hoc optimè cognitum habens, non plus luminis, & candelæ nobis cubitum euntibus dari permittebat, quam ut exuendis ſufficeret, mane verò affatim ejus ſubminiſtrari ſinens. Cui ſoli prudentiæ illius, quod non dudum morbo hypochondriaco, quo ſic ſatis vexatus ſum per vitam, & vexor etiamnum, oppreſſus ſim, acceptum fero. Quod aliorum in gratiam monendum hic eo magis duxi, ne ſera nimis pœnitentia cogantur morbis dare tempus cum cruciatu, quod quieti neceſſariæ negavere.

Quare fuerint omnino, potius *lucubrationes antelucanæ* amplectendæ ad ea quibus dies non ſufficit.

2. *Collati cum præterito*: Ita *aliter nunc* excerpi convenit *ac veteres* excerpſiſſe, notat *SCHEFF. c.* 12. *§.* 11. *circa finem.*

3. Reſpectu habito ad *durationem facultatis* ipſius v. g. *quando* & *quamdiu liceat libris certis frui*, vel *auſculsationibus*, ut huc illud *DIOGENIS* quadret: Pauperes edunt *quando poſſunt*, Divites quando volunt.

4. *Futuri* temporis reſpectu videndum etiam, monente rectè

SCHEF-

SCHEFFERO, l. c. p. 129. Imprimis cui tempori excerpas: an nempe *imminenti*, vel *longinquo*, *ſeravè ſenectuti*. Hoc caſu *plura* & *accuratius*, illo tanquam *ſemimemores*, *pauciora* & *minus accurate* poterunt excerpere. Quin & ipſa materia excerptorum variari hoc reſpectu, & alio multiplici debebit. Quæ cuncta cum *innumeram* magis varietatem recipiant, quam, ut præceptis exhauriri plane poſſint: *experientiæ & hinc augendæ prudentiæ* maximam partem ſint *relinquenda*, cui viam ſtraviſſe paucis hiſce nunc ſufficiat.

Hoc unum *adhuc Univerſim* hic addere *obſervandum* habemus *circa confecta jam excerpta*;

Relegenda & luſtranda eſſe nobis per vices *excerpta* noſtra; tum *memoriæ ergo*, ne ordinis aut contentorum, (quæ ſane notatu digna præſupponimus) plane obliviſcamur, tum *emendationis faciendæ*, ac reformationi *prout locus, tempus, uſus aliquid mutaverit* in fine, circumſtantiisve noſtris, aut *ipſo enotationis tempore minus omnia licuit* præcepta ſatis accuratè obſervare. Qua ſane in parte, omnibus aliquatenus deficere ſæpiſſime contingit, nemine omnibus horis æque omnibus attendere valituro.

§. 10. Oppoſita huic arti præcipua VITIA EXCERPTORUM, quo frequentiora, procliviora, & magis noxia, hoc magis vitanda.

Quam-

Quamvis ex propoſitis hactenus præceptis, & per ea quærendis excerptorum virtutibus, haut ita difficulter oppoſitorum vitiorum ratio, attente ſatis atque ingenio ſe meditanti poſſit conſtare: quia tamen expeditius ad praxin longe ſit futurum, in conſpectu habere ſumma eorum capita, non pigrabimur etiam illa ſecundum ordinem ſuperius obſervatum ſummatim enumerare.

Generaliſſima itaque *vitia excerptorum* omnium erunt

1. *Recordationis incertitudo*; dum ita excerpimus, ut *plerumq;* aut certe *aliqua* excerptorum, æque parum ac ex ipſis libris unde excerpſimus liceat reperire.

2. *Recordationis difficultas*: dum æque magno, vel certe non multo minori *labore*, atque *tempore*, in excerptis noſtris invenimus ea, quæ digeſſimus, ac ex ipſis libris, unde illa enotavimus, vel *majori* certe *labore* ac *tædio*, *quam* ipſa excerpta *merentur*.

3. *Enotationis difficultas* atque moleſtia, non penſanda ſatis uſu ac facilitate recordationis: ob *jacturam puta laboris, temporis, & ſumtuum*. Videlicet *interrumpendo nimis*, atque *diſtrahendo attentionem, lectioni*,

lectioni,
meditationi,
vel *auſcultationi tribuendam*, dum conſiderate nimis atque laborioſe cogitamus concipere,
adornare, &
inquirere Titulos, ad quos excerpta ſunt referenda.

Specialia vitia ſunt:

1. *Materiæ* reſpectu: Si excerpamus *inutilia*, ita ut *charta pretioſior ſit inſcriptis*; uti *Socrates* dicebat apud *STOBÆUM*; quo nomine *STURMIUS* repræhenditur à *KECKERM. v. STUBEL. c. 1. §. 9. p. 12.*

Si *promiſcue omnia*, quemadmodum *TIMÆUS* Hiſtoricus Græcus, dictus proinde γρᾶυς συλλέκτρια, ſive *anus collectrix*.

Si excerpamus *ſolas ſententias*, quod repræhendit *MELANCHTHON* apud *STUBEL. c. 3. Obj. 3. KECK. Conſ. f. 3. col. 1. & Manuduct. ad Phil. Pract. c. 2. p. 1702.* Item ſi *Phraſes*, aut verborum atque dictionum *elegantias ſolas*.

Aut ſi *tantum* illa quæ *lecta* ſunt, non etiam audita, vel cogitata: aut *latine lecta ſola*, non etiam aliis linguis accepta enotemus.

2. *Quantitatis* reſpectu: Si excerpamus vel *immodice multa*, imprimis *ejusdem argumenti*, & communia plerumque futura, cum rariora non tam abunde ſe offerant, vel *admodum pauca*.

Hinc *SENECA Ep. 108. Non paſſim carpenda ſunt, nec avide invadenda univerſa. v. eund. Ep. 88.* Priori

ſane in genere mirificè *me primis annis peccaviſſe* memini, ac propterea multa poſterioribus aboleviſſe, ne oneri & impedimento eſſent inveniendis utilibus. v. *Epiſt. adjectæ numeros minores.* Neque verò non poterit idem accidere omnibus diligentioribus, dum nova initio videntur ipſis ea, in quolibet argumento, in quo parum adhuc ſunt verſati, quæ poſtea inveteraſcunt, & communia evadunt, adeoque ipſo potius uſu, & repetitione, vel invitis circa tam vulgaria recurſuræ memoriæ, quam libris commendanda.

3. *Formæ internæ* reſpectu: Si excerpimus *confuſe* nimis, uti patet ex adductis exemplis *TITIO* §. 17. *n.* 1. & 2. *p.* 50.

Quod fit *faciendo titulos* vel *planè non diſtinctos*, vel *non ſatis*: ita ut *ſinguli nimis multa comprehendant*, utpotè *univerſaliter admodum concepti*, vel *nimis multos atque diviſos* admodum *minute*, ut adeo pauca ſub ſingulis collocari poſſint, & ipſa copia titulorum inquirenti ſit impedimento. vel *ſubtiliter adeo diſtinguendo titulos*, ut ægrè pateat diſcrimen, aut *coincidant* diſparata, aut *confundantur* facile. Quod fit imprimis, quando *verbis potius, quam*, (uti par fuerat) *re ipſa diſcrepant* tituli. v. *KECK. Manud: ad Phil. Pract. c.* 2. *ſ.* 1700. Idem *ſ.* 1700. Idem continget, ſi *ſpeciem*, & *formam excerpendi, materiæ ſuæ minus congruam adhibeamus.* v. gr. ordinem alphabeticum, aut

me-

methodicum, ubi adverſarius præſtabat. Item ſi plures *materias diverſas* congeramus *in idem volumen* quæ ſeparari debuiſſent. v. gr. ſententias, exempla, phraſes, voces raras, ſimilitudines, definitiones, diviſiones philoſophicas, &c. in unum congeſtas.

4. *Formæ externæ* reſp. oborta vitia vel ipſis ſenſibus adeo bonam partem ſunt manifeſta.

Generatim quidem, ſi (1) *non ſine tædio & nauſea poſſunt* inſpici & *evolvi* aut luſtrari, ac adeo *pudere oporteat eorum exhibendorum*.

(2) *Mutari non poſſint* partes ſine totius corruptela inſigni.

Speciatim vero inumera plane poterunt eſſe. v. gr. *Scriptura inarticulata*,

minuta, ut juventæ commoda, ſic ſenectæ lippienti vel cœcùcienti incommoda futura.

obſcura, breviaturis &c.

inelegans,

magna nimis, atque uncialis citra neceſſitatem. Unde quæ ſub unũ conſpectum cadere debebant, in plures paginas incommodè diſtrahuntur, imò volumina ex paucis exſurgunt vegrandia & incommoda. Ita ſcio celebrum Medicinæ Profeſſorem Jenenſem ROLFINKIUM, ad modici libelli editionem volumina vix portabilia, viro etiam robuſtiſſimo, ad typographum miſiſſe, eo quod ad latitudinem pollicis litteras ſingulas formare conſueviſſet.

indiſtincta, varietate, nulla

ſignisve, ſupra commendatis nullis aut præpoſtere adhibitis.

Volumina nimis *magna*, & ſpiſſa, ſic, ut pluteum aut menſam occupent, nec portabilia maneant.

vel ê contrario *parva nimis:* unde incraſſeſcunt ſupra modum, aut *multiplicanda* veniunt, & unum titulum foliis multis quærendum exhibent.

Spatia indiſtincta, vel male ſeparata: *nimis* puta vel *parva*, vel *magna* relinquentia.

Folia plicata nimis, ita ut confuſio ſumma oriatur.

Schedæ faſciculis nimis *multis*, aut
craſſis, aut
ob ſingularum parvitatem facile miſcendis.

Receptacula Schedarum nimis operoſa
ſumtuoſa
nec portabilia.

vel ineptisſime diſtincta. v. gr. *ſecundum Auctorum* quos excerpimus numerum, uti *Lipſius* & alii apud *SCHEFF. c. 12. §. 2. p. 139.* ſuis ſane inconſulti ſunt auctores: quando tot volumina vel claſſes aut partes titulorum facere jubent, quot libri legantur. Quæ res omnino ſecum trahet magna incommoda, dum incerti, quantum ex quoque Auctore ſub quovis titulo ſimus excerpturi, multum chartæ inanis ſubdividendo ita titulos, augendo vero volumina longe oneroſiorem codicum copiam ſimus adepturi, ac repetitionis difficultatem inſuperabilem habituri, poſtquam obliti fuerimus, ex quonam Auctore, cuiq; titulo ſit aliquid ſubnotatum, adeoque in quonam volumine quærendum. Quod ſi tanti ſit ſeparatos habere Auctores, unde unumquodq; collegeris: ipſa

ipſa illius *allegatione diverſis locis poſita*. v. gr. in principio, vel fine, vel medio folii ſeparatim, imprimis *adjuto ſigno marginali*, vel ſcripturæ aliquo *diſcrimine* ſaltim in ipſa allegatione obſervato, finis ille commodius longe poſſit obtineri.

Quod tamen haud perpetuum adeo volumus, quin *exceptionem patiatur*, quoties ei diſtinctioni ratio ſufficiens adeſt, ſecus ac in Lipſianis. Ita *in STARKII Theſauro epiſtolari* Ciceronianæ formulæ ab aliis ſecretæ ſunt, ſine dubio eâ intentione, ut pueri juvenesq; illis potius quam ſequioribus uterentur & adſueſcerent, nec niſi ad ultiores poſterioribus etiam cum ſelectu ſe applicarent.

Specialiſſima etiam *vitia* erunt *reſpectu circumſtantiarum*. v. gr. (1) *Finis* ſi excerpantur *aliena* à ſcopo colligentis, vide *DREX. l. 2. c. 5. p. 125.*

(2) *Excerpentis*, negligendo magis illi nunc neceſſaria, vel *tempora excerpendi*, aut *legendi utiliora*, imo *agendi* potiora

(3) *Loci*: non accommodata illi loco, ubi uſuri ſumus excerptis.

(4) *Temporis* incipiendo præmature continuando deſultorie, aut intempeſtive, ſine reſpectu præſentis, aut futuri temporis, ante laudato.

Qualia cum *infinitis modis varia* oriri poſſint, *prudentiæ* potius ſunt *relinquenda*, per experientiam

 augen-

augendæ, poſtquam hiſce *univerſalibus cognitis*, eorum cauſſæ fonteſque ſatis jam ſunt evidentes.

Potuiſſent verò, imò debuiſſent fortaſſis etiam ex votis plerorumq; hæc lecturorum, *exempla* memoratorum nobis vitiorum notabilia maximè, ad ſpeciem unamquamq; vel ad genera certè præcipua, nunc adduci. Id quod ſane vel *edita collectanea* multorum inſpicientibus, & ſub cenſuram vocantibus, in plerisq; ſatis fuiſſet proclive. Quandoquidem plurimorum etiam operoſiſſima Volumina, quo grandiora hoc magis plerumq; peccant, titulorum ſine judicio & diſtinctione, conceptorum, vitio peſſimo, vel ordinis confuſiſſima ratione; &c. Sed cum ea quidem cenſura benè mereri de nobis conatorum, futura videretur nimis invidiæ plena, & apud tirones in primis, artis hujus, aut eorum librorum ſupellectili non inſtructos, aut certe contemtu illorum, quibus uti maximè debeant, neutiquam præoccupandos: tum hoc etiam eſt conſilio nobis, uti puto, non inconſulto nunc prætermiſſa, quod ex ipſa horum præceptorum, ad ea quæ quisque ſibi poſſit in conſpectum ponere, vel mihimet adeo nunquam conſpecta excerptorum vel impreſſa vel manuſcripta exempla, collatione ſit manifeſtò ſatis ſeſe proditurum unumquodq; ab illo recedens erratorum genus, *applicatione* aut *non difficili* futura dictorum aut eo ipſo quod in difficili ſit poſita, ſubtilitatem receſſus à præceptis, adeoq; ſimul & errati non adeo magni exiguam noxam arguente.

Quo minus tamen etiam hic aliquid deſideretur, vel eam ob cauſſam potiſſimum in *adjecta* ſub finem *Epiſto-*

Epiſtolica de propriis noſtris *Excerptis narratione*, maluimus culpas noſtras etiam privatas, publico licet convitio proſcindendas, humili confeſſione propalare cum ignominiâ, quam aliorum etiam publicos errores indicare cum invidia, vel oſtentationis ſuſpicione, longè magis mihi, qui meus eſt animi genius, erubeſcenda.

CAP. II.

DE

Variis *Excerptorum Generibus*, ex varietate vel formæ excerpendi, vel excerpentium orientibus.

SECTIO I.

Enumeratio varietatum excerpendi.

EXcerpendi quidem *varietas nova*, *pro cujuslibet praecepti* ſuperius traditi *obſervatione*, aut *violatione*, variata orietur: at *eſſentiale diſcrimen* totam excerpendi rationem

 varians,

varians, noviſq; adeo obſervationibus & præceptis dignam faciens, ex iis ſolis *capitibus, quæ ſupra* § 8. & §. 9. *cap. præced.* jam *huc rejecimus*, enaſcentur. Nimirũ (1) aut *ex* ipſa excerpendi *materia* ejusq; variata diverſimode qualitate, aut

quantitate;

(2) aut ex *forma* excerpendi,

(3) aut excerpentium *ſocietate*.

Materia diverſa excerpendi,

Generatim nobis *quantitatis* ſuæ *reſpectu* diſtincta, præbet *Excerpta Verbotenus*, vel

Lemmatice facta. *Sect.* 2. & 3. expendenda.

Speciatim vero *qualitatis* ſuæ adeoq; *ſtudiorum* & diſciplinarum varietas, quo modo rationem excerpendi applicandam illis variet *cap. III.* deinceps partite tradetur.

Forma vel *interna* eſt, ſive *Ordo*,

vel *externa*. Hæc priori loco erit nobis expedienda, ut ad internam, cujus gratia eſt, cuiq; inſervire tota debet, applicari deinceps poſſit.

Utraque vel Ordinarium excerpendi genus conſtituunt, vel

Extraordinarium & peculiare.

Ordinarium diſcrimen externæ formæ, producit nobis,

Excerpta *Schedacea*, &

Ligata, ſeu *Volumina Excerptorum Sectione* 4. & 5. examinanda.

Forma

Forma interna ſive *Ordo* excerpendi, vel eſt *communis*, vel

Proprius,

Communis vel eſt *neglectior* ſive Adverſarius, unde *Adverſaria Excerpta* conſideranda. *Sect. 6.*

vel *accuratior*, isque vel Alphabeticus, unde *Alphabetica Excerpta Sect. 7.* vel

Methodicus unde *Methodica Excerpta. Sect. 8.*

Proprius ordo, qui & *alienus* dici poſſet, quando *commentando* ad aliena ſcripta excerpimus, producet *Excerpta commentaria*, de quibus *Sect. 9.*

Extraordinarium excerpendi genus ſingulare, ac præ cœteris peculiariter notandum, eſt *Scrinium literatum*, quod exhibebitur *Sect. 10.*

Extraordinarium vero excerpendi genus multiplex, & *commune* aliud, proponetur *Sect. 11.*

De Societate deniq; ineunda excerpendi utiliſſimâ, ſive conficiendi *Socialia excerpta*, ratione *Sect. 12.* ſuperaddetur. Et hæc quidem diſcrimina præſenti capite pertractabuntur.

Univerſim tamen hic *præmonitum* volumus: (1) *præcepta ſuperiori capite commendata ſemper* in ſpeciebus, *hoc & ſequenti capite* præponendis, *attendenda eſſe, quoties ſpeciatim*, de illorum mutatione animadverſionem *novam haut interponemus.*

(2) *Mixturam ſpecierum* harum *aliquam* fere *nunquam non commodam* fore, ut in ſingulis deinceps amplius hoc patebit. Nunc *ſpecies ſimplices* ſingillatim ita proponemus, ut *primo definitionem*, & *nomenclaturam*, atq; *naturam* cujusq;, dein (2) *commoditatem*

nativam, atq; incommoditatem demum,
(3) hujus minuendæ, illius vero augendæ, adeoque bonitatis ſummæ efformandæ *præcepta* exhibeamus ea, quæ Deus nobis uſu & ingenio noſtro voluit obſervari, omnia ingenue ſaltim, ſin minus artificioſe prorſus communicantes.

SECTIO II.

DE

Verbotenus excerpendis.

§. 1. DEFINITIO.

VERBOTENUS EXCERPTA ſunt ea, *quæ ad verbum*, ſeu totidem verbis quot legimus, audimusve, *deſcribuntur.*

§. 2. De COMMODITATE & INCOMMODITATE verbotenus excerptorum.

LIquet facile, *incommodam* eſſe laborioſitate ſua *enotationem* hanc, imprimis eleganter & hinc tarde ſcribentibus:

commodam vero *relegentibus* & *inquirentibus*, ne ad alias quam excerptorum ſuorum chartas inquirendas remittantur: ſed loca prolixa facile inveniant, & ſtatim relegere habeant in ſuis excerptis.

Quam-

Quamvis & hic ob erroneam aut inarticulatam deſcriptionem aliquid incommodi ſit metuendum quandoque.

§. 3. PRÆCEPTA Verbotenus excerpendi.

UT ergo recte ſiant hæc excerpta, notandum 1. *Materiæ & qualitatis* ejus variæ *reſpectu*, quod

Verbotenus excerpere tunc *præſtat* (1) quando *propter ipſa verba* excerpimus. v. g. *Vocabula*, *Phraſes*, *Conſtructiones* rariores, *Figuras*-*ve*, aut *Formulas*, & alia ſermonis præſidia, vel ornaměta: vide *KECK: Manuduct. p.* 1077. (2) quando *vis* ineſt & *auctoritas verbis* ipſis: v. gr. S. Scripturæ, vel Auctorum celebrium ſentioſe dictis. (3) Imprimis *ſi memoriæ* iſta exſcribendo *mandare cupiamus*, (4) *Si ad manus* ſemper, & in conſpectu *habendi* deſiderium adſit. (5) Siquidem *metus* etiam adſit, *ne* unquam *facile totidem verbis iterum legi poſſint*: ob libri forte ex quo excerpimus conditionem v. gr. ex *Manuſcripto*, aut *Vaſto*, & in reliquis forte inutili; aut *Pretioſo*, vel *Rariori*, nec

nec amplius venali *codice*. vide *DREX. L. II. c. 8.*

2. *Quantitatis reſpectu.* Non nimis pro-lixa & multa loca deſcripturis tolerabilior hæc ratio.

3. *Ordo* quomodo omnis tandem aliquando, unus tamen præ alio quadret,

4. *Formaq; externa* ſimiliter, *in ſequentibus* ubique ſpeciebus partite dicetur.

Circumſtantiarum enim *reſpectus*, ut *accidentalis* & fortuitus, atq; hinc varietatis infinitæ futurus, neq; hic, neq; in ſequentibus recipiet certa præcepta: *prudentiæ*, ex generalibus ſupra dictis, ad ſpecialia per applicationem & experientiam comparandæ relinquendus. Ita v. gr. homini impatienti fruſtra ſuadeas verbotenus excerpere prolixa loca, tarde ſcribenti etiam inutiliter, & cum diſpendio, niſi valde neceſſaria. E. contrario nondum nunc intellecta, ſed olim demum, matureſcente judicio aſſequenda, qui poterunt aliter quam ad verbum excerpta prodeſſe, cum non intellecta, neq; contrahi ſane cum judicio qua talia, omnino queant? &c.

SECTIO III.

DE

Lemmaticis Excerptis.

§. I. NOMENCLATURA & DEFINITIO.

LEM-

LEMMATICA EXCERPTA quæ COMPENDIARIA etiam, & SUMMARIA, item BREVIARIA, vocare licet, cum veteribus citatis *Scheff. c. 12. §. 1. p.* 135. dicimus *ea, quæ fiunt lectis ad pauciora verba contractis*, ſola ſententia retenta, *vel* plane *loco ſcriptoris ſolo enotato*, ut indicis vice excerpta noſtra fungantur.

§. 2. COMMODITAS Lemmaticorum Excerptorum.

HÆc ratio excerpendi quanto *commoditatem notandi* longe *maximam habeat* inſe manifeſtum eſt, licet *inquiſitio nonnihil* reddatur *operoſior*: & ægrius apparentibus inter multa paucis, & duplicato labore inquirendi jam in excerptis inventa, denuo in auctore, unde ſunt excerpta.

§. 3. PRÆCEPTA Lemmatice quam optime excerpendi.

UT quam optime fiant hæc excerpta, operæ pretium fuerit ſequentia obſervare.

1. *Materiæ reſpectu*: hæc ratio excerpendi abbreviata ob inſignem ſuam commoditatem enotandi, quoties ſufficere ſcopo noſtro poteſt, neque rationum modo ſectione *prox. præced.* allatarum ulla obſtat, *ſemper* erit *præferenda*: vid. *SCHEFF. c. 10. §. 11. p. 154.*

2. *Quan-*

2. *Quantitatis reſpectu*, maxime tunc obſervanda ea, *ubi multa*, & quidem *ſingulis titulis*, *ſubſcribenda*.

3. *Ordinis* ſeu Formæ internæ *reſpectu*, curandum, ut, quandoquidem hæc ratio excerpendi frequentatur *potius in rebus quam dictionibus enotandis*, formentur *ea materiarum argumenta, ut*, quantum *breviter* fieri queat, *ſpecialem qualitatem exprimant materiæ*, nec tantum de illa materia loco citato agi, ſed etiam hoc vel illud, hoc vel illo modo agi, ſtatim per excerpta noſtra nobis innoteſcat. v. gr. ſi Titulus ſit Amicitia, non ſufficit ſubſcripſiſſe loca de amicitia agentium: ſed breviter quid agatur addendum, v. gr. de illius definitione, ſpeciebus, tota natura, utilitate: &c. quæ deinceps ſignis ſuis poterunt diſtinctim ob oculos ſubjici, uno ſtatim intuitu luſtranda, ſicuti dictum §. 2. *c.* 2. Nempe ne fruſtra & in dubio veniat inquirendus locus generaliter allegatus, etiam tunc forte, quando nulli ſit uſui futurus; quod ſane tœdioſum ſit futurum valde, ac ſæpe, inprimis feſtinantem, aut diſtractum, ab inquirendo loco illo deterrebit omnino.

Unde perinde fuerit poſteriori caſu ac ſi non ſit excerptus, priori verò etiam præſtitiſſet excerptum non fuiſſe: impedimento potius quam uſui ſerviturum.

Cæteroqui formæ quomodo hic *omnes ordinariæ* vel extraordinariæ quadrent tandem, una tamen magis, altera minus, &

4. *Externæ Formæ reſpectu*, idem qualiter obtingat, *ex ſequentibus patebit*. De *Circumſtantiarum reſpe-*

reſpectu, repete *dicta ſub finem Sect. proximè praecedentis*; quod ſemel nunc, iterumq; pro ſequentium Sectionum ſingularum & univerſarum uſu repetendum monuiſſe erimus contenti.

SECTIO IV.

DE

Libris Excerptorum.

§. 1. NATURA & SPECIES Librariorum Excerptorum.

LIBRI EXCERPTORUM, ſive CODICES, & VOLUMINA, quæ & LIBRARIA EXCERPTA vocare liceat, quid ſint facile conſtat: videlicet *Philyræ chartaceæ quovis modo in unum corpus compactæ*, conſuendo v. gr. vel conglutinando, vel utroque. *Modi* autem illi poſſunt eſſe *varii*, & *inæqualis* admodum *uſus*: diſcrimen tamen omne ad *tria ſumma capita* recidet, Nimirum ut ſint volumina, vel (1) *arcte & more artificioſo bibliopegarum compacta*, philyris circa dorſum libri etiam glutine conſolidatis, poſtquam conſutæ fuerunt.

(2) *Conſuta* tantum ruditer, ſine conglutinatione, cohærentibus tamen philyris, ita ut ſingulæ ſeorſim diſſolvi non poſſint. Geheſſtet. quales ſunt Italorum *alla ruſtica* dictæ ligaturæ librorum.

(3) *Conſuta tantum: ſeparatis nempe ſingu-*

ſingulis philyris,aut earum aliquibus invicem inſertis, ita ut ſingulæ *ſuo filo* ſeorſim cohærentes, citra ſolutionem reliquarum diſſolvi iterum poſſint. Eingenähet. vel potius dicendæ auffgenähet / cum priores illæ ſint zuſammengenähet/zuſammengeheſſtet. Quod quidem illæ quoq; ſunt, ſed ita, ut non modo cum tertio corpore cui aſſutæ ſunt philyræ, ſed inter ſe quoq; cohæreant, ſive aſſutæ ſint folio integro quod pro tegmine ſerviat pergameni,aut chartæ craſſioris,&c. ſive ſegmentis pergameni aut loris etiam aſſutæ ſint ſeparatim ſingulæ philyræ, ita & una earundem aut altera quæq; poſſit, reliquis relictis, ſecto vinculo eximi, quando lubet,ac reponi loco vel eodem vel immutato.

§. 2. COMMODA & INCOMMODA Librariorum Excerptorum.

COmmoditas *communis* ac *præcipua* voluminum ligatorum in eo eſt,quod *promuntur*,
tractantur,
reponuntur expeditius
citra diſſipationem, aut *confuſionem* foliorum.

Accedit *nitor* maxime primi generis ligaturæ artificioſioris. Et denique,quod ſemper *volumina* quomodocunque formata, *licebit in ſchedas diſſolvere*, facilius ſane,atque expeditius,quam vice verſa ſchedas in Volumina redigere. Quamvis utrobique ut illud fieri queat, prout lubet, apta conformatione queat provideri; æque ac è contrario inepta conformatione via huic mutationi etiam obſtrui, qua de re mox enucleatius dicetur.

Incom-

Incommoditas alioqui non exigua eſt in eo, quod & *enotaturo*, & *inquiſituro volumen conficiendum*, & *ad manus habendum* ſit certum, adeoq; *circumferendum*, ſi quid extra muſeum velis excerpere, aut excerptorum jam uſurpare, vel cum altero communicare: niſi *deſcriptione duplicata* velis hanc *moleſtiam evitare*. *Augetur hæc moleſtia*. 1. *In methodicis* magis *excerptis*, *ſollicita eligendi in volumine loci deliberatione*. 2. *In confuſioribus* etiam *indicis* duplicatam titulorum inſcriptionem requirentis *acceſſione*. Quæ interdum *utraq; concurrere*, *mox patebit* in diſcriminibus excerptorum ab ordinis diverſitate petitis. Unde minus etiam uni quam alteri formæ atque ordini excerptorum libri ligati ſunt idonei: nimirum *adverſariis* quidem *maxime*, *minus alphabeticis*, omnium *minime methodicis*: *Commentariis* vero *diverſimode*, prout in *unam* alteramve principalium formarum incidunt.

Adde 3. quod *imprimis in arcte & artificioſe compacto codice*, aut *vaſtitas chartæ vacuæ* multum inconcinnitatis, aut *exilitas multitudinem voluminum* parit. Quorum neutrum tædio & moleſtiâ ſua caret. Tandem 4. *emendatio*, ſeu mutatio in melius, hic *difficilior & inconcinnior tanto*, *quanto arctior* erit *ligatura & elegantior*. Unde patet *ſpeciem quamq;* ſupra dictam *quo*, *poſteriori eſt loco* enumerata, *hoc potiorem nobis* hic *eſſe debere*.

§. 3. PRÆCEPTA librariorum Excerptorum optime formandorum.

P*Raecepta tollendi haec* incommoda, vel certe *minuendi*, quanto maxime natura ipſius formæ hujus patitur, *non tam conſiſtunt in ſelectu materiæ*, aut
Quantitatis,
Ordinisve excerptorum: quandoquidem *horum omnium omnes ſpecies atq; gradus, ſi poſſimus huic formæ externæ accommodare*, tum demum optimam illam efformaverimus. *Sed* poſita ea ſunt *in artificio*, ipſam *formam externam librorum talem effingendi, ut prout lubeat nobis vel ſchedarum,*
vel librorum uſum præſtare poſſint. Ita enim demum commoditatem utriusq; formæ quando libuerit nobis præſtare, incommoditatem contra evitare fuerit integrum.

Hunc in finem ergo *ſuaſerim philyras ſingulas, aut paucas conjunctim ſumtas, ſeorſim ſuo filo ſeparato pergameni ſegmentis*, vel potius *coriaceis loris alligari, ea* lora *per tergum involucri* cui alias illigari, vel impingi chartæ deberent, *factis foraminibus inſerta*, & *anteriori parte reſpondentibus aliis foraminibus iterum exſerta vicem* tergi ſimul ſive *dorſi & ligularum*, volumen ipſum conſtringentium *præſtabunt*.

Poteruntq; hac ratione ſingulæ philyræ, vel earum certæ uno filo conſtrictæ congeries, *diduci*,
eximi, aut
unico filo ſoluto,
inſertionibus, ac aliis
mutationibus uniendo ſeparata, vel
ſeparando unita, prout lubet *variari*, *tolli* etiam penitus, aut nova folia, vel *novæ* philyræ *addi*. Qui-

TAB. I.

Fig: 1



Fig. 2.



Quinimo & poterunt *paucis foliis ſolis initia fieri*, & *variis locis atq; temporibus, in variis philyris tollecta invicem jungi, junctave* in plures *iterum libros ſeparari*: verbo *omnes utendi* aut *emendandi commoditates* quam optime *exerceri*. Si verò planè *in ſchedacea mutari* aliquando debeant, aut *altera ſola pagina* cujusq; folii, aut *folium quodq; non ſeparandis* iterum excerptis impleri debet.

Quod *ſi ſola* cujusq; folii *pagina altera*, ſine opiſthographo, excerptis impleatur, etiam hoc inde lucri redundabit, ut ſectione folii facta, poſſint ubiq; inſeri, quoties ſit opus aliqua. Id quod in methodicis accuratis, imo & alphabeticis, & commentariis, uſu venire ſæpiſſimè poſſe, tum ſequentia de illorum unoquoq; præcepta, tum magis etiam multo experientia, diligenter in iis & ordinatè verſantibus uberrimè demonſtrabit. Ne dicam nunc in uſum pauperiorum etiam ita chartas viliores, neq; non ſemibibulas quandoq; ſuffecturas, aut averſa pagina jam uſurpatas, vel non æquè ſemper utraq; ſatis, ob ſcabritiem, aut aliud vitium, commode uſurpandas.

Exemplum hujus optimæ librorum conformationis, vide in *Epiſtola adjecta num. 69.* *Specimen* vero in

TABULÆ I. *Figuris* 1. & 2.
quarum hæc eſt *interpretatio.*

Fig. 1.

Liber excerptorum clauſus.

a, lora dorſi, & ligamenti uſum præſtantia.

b. diductio philyrarum, ut inſerantur novæ.
c. lororum tranſitus à dorſo libri.
d. lororum eorundem exitus ad ligamina præſtanda.

Fig. 2.

Liber excerptorum apertus.

a. diductio ad inſerendam philyram novam.
b. ſegmentum ad inſerendum folium novum factum à præcedente.
c. ſegmentum à ſequente folio factum ſimiliter.
d. *Marginalia* ſigna, quorum *cap. I. §.* III. facta eſt mentio.

SECTIO V.

DE
Schedis Excerptorum.

§. I. NATURA & SPECIES Schedaceorum Excerptorum.

SCHEDÆ ſive SCHEDIA EXCERPTORUM, quæ & SCHEDACEA, vel SCHEDIARIA EXCERPTA vocare liceat, ſunt ea quæ *chartis non compactis ſed ſolutis conſtant.*

Modi & hic poſſunt eſſe *varii*, diſparisq; omnino commoditatis aut incommoditatis. Præcipui tamen ad ſequentia recident capita. I. Ut *chartæ* ſeu Schedæ *perfilatæ* cohæreant, ſive majores ſint ſive minores. 2. Ut *acubus affingan-*

tur

tur vel *glutine, amylo, gummivé*, aut *cera ſigillatoria*; vel *farina* leviter *macerata*, vel fruſtulo tenuis paſtæ, ex farina & aqua in uſum epiſtolarum obſignandarum, ac alium varium vendi ſolitæ; quæ Oblaten vocant, aliave qualibet ad hoc apta materia, vel *ad extremitatem* unam ipſius ſchedæ aliquam adhibita, *Schedæ minores foliis majoribus*, chartæ vacuæ vilioris, imo bibulæ ſaltem, aut emporeticæ, titulum communem recipientibus.

3. Ut *per involucra diſtinguantur* ejusdem argumenti ſchedæ ab aliis, titulo ſuo cuique involucro inſcripto, & communi eorum indiculo toti faſciculo colligando præfixo.

4. Ut *Philyræ chartaceæ* potius quam folia uſurpentur: & ejusdem argumenti excerptis plenæ *invicem inſertæ* ſeparentur à reliquis, & hac ratione *compoſita queq; congeries acu minimum compingatur*: imprimis ſi excerpta ſint in forma minori, 8va aut 12ma, vel plura invicem inſerta.

5. Artificioſiſſima forma per *ſcrinium literatum* ſeorſim exponetur *Sect. X.*

§. 2. COMMODA & INCOMMODA ſchedaceorum Excerptorum.

Diverſi plane *modi Schedarum* neceſſario *diverſam* etiam *commoditatem* habeant oportet.

Generatim tamen hoc omnibus ineſt commodi, quod (1) *Enotatio commodior*, & *promtior* eſt, in Schedis

ſubito arreptis, inter legendum vel meditandum, repoſitione ſive digeſtione, & *collocatione dilata*, usque ad finitam lectionem aut meditationem, in tempus commodum, imo vel *per alium* deinde *perficiendâ*, inprimis ſi titulum ſaltim, quo redigi debeat ſcheda quævis, aſſignaveris.

Unde *quovis loco & tempore* vel remotiſſimus aliquis ab excerptis ſuis exiſtens, eadem novis acceſſionibus ſemper augere poſſit.

Quinimo fragmenta etiam alienarum chartarum, quæ diſcerpere libeat, aut in ſe mole ſint exigua, poterunt hac ratione noſtris excerptis apponi. v. gr. programmata, Diſputatiunculæ &c. ut & earum partes.

(2) *Uſus* in eo *facilior*; quando *circumferre*, & *communicare* pro lubitu partes excerptorum noſtrorum, retentis reliquis, licet.

(3) *Addere*, *demere*, *mutare* quoque *partes*, aut *univerſum ordinem*, ſemper eſt nobis integrum. Adde quod

(4) *ſchedas* etiam usque adeo *fortuitas*, vilesq; prioribus tribus præcipuè modis adhibere liceat, ut non modo ſemibibulas, ſed altera pagina, imò parte ſuperflua ſui plane inutiles, vel jam uſurpatus, & vacui aliquid ſolum, quantum ſit opus habentes, liceat uſurpare.

Ita vel beato *JUNGIO*, imò & aliis, folia lacera, ex libro quolibet veteri ſcripto vel impreſſo, annotandis

dis brevioribus excerptis adhibita vidi. Quod tamen non adamaverim; utpote ſordidiuſculum, & requirenti ſua notata ſæpe faſtidioſum futurum, atq; tœdioſum. Ni forte hoc ipſo ſchedas invicem diſtinctiores, & adeo repertu faciliores credat, aut brevi tempore duraturas, & mox abutendas, certe non facile ad conſpectum aliorum proferendas, ipſe talibus contentus, aut paupertate ad talia conſtrictus ſit excerpens.

Incommodum hoc *unicum* fere præcipuum remanet, quod utentes iis foliis Sibyllinis, (uti per contemtum à nonnullis vocantur,) *ægre diſperſionem aut confuſionem evitamus*. Quod vel aperta incautius feneſtra januâve, aliquoties cum tœdio non exiguo ſum expertus.

Speciatim verò id incommodum eo majus evadet, *quo major numerus*, &

minor ſit *magnitudo foliorum*: & quidem ex enumeratis modis

1mus *minus* eſt *aptus* magnæ *copiæ* foliorum.

2dus *ob molem*, in quam majores illæ chartæ excreſcunt, & ob *acuum in* evolvendo *minus fidam tenacitatem*, aut etiam intempeſtivam aliquando aduncitatem, & hinc adhæſionem, vel ipſas quandoq; manus incauto vulneraturam, perincommodus erit.

3us etiam *diſſipationi*, &

confuſioni valde obnoxius erit: tædioſiſſima futura recollectione, niſi numeris, aut ſignis, cuique folio appoſitis, ſuum involucrum determinetur.

4tus modus facile præ reliquis *palmam obtinebit*, imprimis ſequentibus etiam præceptis adjutus.

§. 3. PRÆCEPTA optime ordinandi Schedacea Excerpta.

P*Ræcepta minuendi* naturalia Schedaceorum Excerptorum *incommoda*.
promovendi vero *commoda* eorundem,
Iterum *non* debent conſiſtere *in ſelectu quantitatis* ſolo, aut *qualitatis*, *ordinisve* Excerpendorum: utpote quorum ſpeciebus omnibus adaptari etiam hæc forma debet. Quamvis imprimis id perfectiori ejus modo quarto potiſſimum conſecuturi fere ſolo ſimus.

Circa materiam verò hic *univerſim* adeo *notandum*: quod, quo magis ordinata, & abs tumultuaria, vel eidem proxima, mox exponenda nobis adverſaria diſpoſitione, recedentia ſint excerpta, hoc magis etiam à librorum aucta compagine recedere, ac in ſchedas diſſolvi opus habeant. Ut adeo *primariò* ſint *alphabetica* huic generi apta, neque minus etiam *methodica*, & reliqua, deinceps dicenda ſuis locis v. *SCHEFF. c. XII. §. 1. p. 154.*

Potiſſimum vero hic artificium erit, *in* ipſa *externa forma ſchedarum* componendarum ita, *ut pro uſu votove* noſtro, æque *librorum atq; Schedarum vicem, & uſum*, adeoque *commoda etiam præſtare poſſint*. Id ipſum vero ultimo ſolo modo, quem alias jam perfectiſſimum diximus, licebit experiri.

Priores itaque *tres* modi, non niſi *tum* erunt *adhibendi*, *quando impedimur uti quarto meliore*.

Quo

Quo caſu circa ſingulos etiam notandum 1. *Fila* potius duplicatâ, ſive *diſtinctis duobus foraminibus tranſigantur*; ut & eo minus folia poſſint agitari, & uno perrupto foramine diſſolutio ſtatim non ſequatur. 2. *Glutine potius, vel amylo, una Schedæ ora folio majori agglutinetur* quam acicula affigatur: ob incommoda ſuperius dicta, & maximè, ne ſolis aciculis facilius excidentibus res committatur. Oram verò minimam ſufficiet agglutinaſſe, ad expeditiorem, ubi ſit opus, revulſionem. 3. *Singulis ſchedis tituli ſui ſignum apponatur*; ne forte dilapſum ægrius ſuo loco reſtituatur. 4 *Ultimus* vero *modus* optime expedietur, ſi, *quemadmodum præcedente Sectione §. ultima* de libro excerptorum diximus, *philyræ adornentur, & quaſi compingantur, acu ſola prout lubet loris latioribus infixâ, tantisper firmandæ*, donec aut ſolutis, aut plane ligatis uti præplaceat.. Nam *philyras* quidem facile *in libros conſui* liquet: cum etiam *folia* ſua plerique tædio diſſipationis, tandem ſoleant *conglutinata* in libros permutare. v. *SCHEFF. c. 12. §. 4. p. 141. & 142.* Quin & eundem in finem 5. *Marginem* proderit *reliquiſſe* ſchedæ cuique ex utroque latere, plicæ, adconſuendum, aut conglutinandum utili, ſi res ita exigat, ſemper futuræ, præter generalem etiam *cap. I.* jam §. VIII. obſervatum uſum ſecuritatis, ab externa læſione, vel per vincula quibus faſciculi conſtringuntur, vel aliunde alias facillimè oriturâ.

SECTIO VI.

DE

Adverſariis Excerptis.

§. 1. Adverſariorum DEFINITIO & NATURA.

ADverſaria Excerpta, vel *Adverſaria ſimpliciter*, ſine appoſito dici ſolita, ſunt ea, *quæ titulis ſine ullo ordine in codicem aliquem digeſtis, indice deinceps alphabetico, ad reperiendi facilitatem, inſtruuntur.*

Nomen adverſariorum unde ortum, & quæ *Synonyma* habeat. v. *HADRIANUM Cardinalem de ſermone latino p. m. 24. SCHEFF. c. 12. §. 1. p. 137. & KECK. Conſ. c. 3. p. 5. qui ordinem* hunc alphabeticum *ſucceſſivum* vocat, an ſatis commodè, non dixerim.

Eſt autem hæc *ſpecies* excerptorum *rudiſſima*, & *vulgariſſima* omnium, adeoque & *antiquiſſima*, & *ſola DREXELIO* imprimis *lib. 2. c. 4.* videndo, & *pleriſq;* aliis hujus argumenti Scriptoribus *ferè tantum memorata.*

Differt namque *à rapſodia* inartificiali (*§. 3 ſuperioris capitis*, à præſenti conſideratione jam remota) hoc ſolo: quod tituli certi formantur, eorumque index alphabeticus conficitur. Unde concipitur facile quis ſit ipſe *modus* adverſaria conficiendi. Nempe, ut volumen aliquod, aut chartam in volumen com-

pin-

pingendam capiamus, eique, prout aliquid excerpendum obvenerit, titulum aliquem inſcribamus, relicto, prout viſum expedire, ſpatio, ad aliqua plura eodem pertinentia ſubſcribenda: poſt quod ſpatium novus titulus, pari ratione ſubſcribetur, addendo numeros, vel ſingulis titulis, vel paginis, foliisve, indici alphabetico poſteainſerendos, ad titulum quemque illuc relatum.

Talia ſunt: *Ex Antiquis*, *Æliani* varia hiſtoria. *Plinii* hiſtoria mundi, *Bibliotheca pauperum* dicta. v. Guid. *PATIN lettre 6. p. 23.* Joh. *Stobæi* Eclogæ & ſententiæ Valerii *Maximi* hiſtoriæ. *Ex Recentioribus* innumera huc pertinent, v. gr. In hiſtoricis Valerium Maximum imitati, Balthaſ. *Exnerus*, in Valerio Maximo Chriſtiano, Joh. Bapt: *Egnatius* in Venetorum, Joh. *Schefferus* in Suecorum memorabilibus exemplis &c.

In Criticis *Adverſaria* Caſpar. *Barthii*, *Turnebi*, & aliorum.

Variæ Lectiones Cœlii *Rhodigini*, Jani *Rutgerſii* &c. aliisque titulis, præter hoſce variis edita, qua profana, qua ſacra, *Collectanea*, *Diaria*, *Miſcellanea*, *Acta*, *lucubrationes*, *dies geniales*, *caniculares*, *otia*, *Axiomata*, *Flores*, *Florilegia*, *Syllogæ*, *Scholæ*, *Apoſpaſmata*, *Apanthiſmata*, *Symbolæ*, *Progymnaſmata*, *vel quomodocunque* aliter, à materiæ, vel formæ vel circumſtantiarum varietate variè inſcripta, ſub titulos certos communes digeſta aliqua pluſcula continentes libri, vel libelli.

Quorum omnium nullum putem auctoribus ſuis indiculo ſuo plane caruiſſe; alioqui ſane ad communes titulos tot, ægre tam varia redacturis.

Nam hiſce titulis communibus deſtituta, uti ſunt, de vereribus, A. *Gellii* Noctes Atticæ, *Arrianiq;* diſſertationes, ex ore Epicteti notatæ, ac ſimilia hiſce ſcripta recentia innumera, ut in ſe utilia, ſic ad rhapſodiarum potius quam adverſariorum naturam accedere, planum eſt, vel obiter inſpicientibus. Cum non tam plura ſub communes titulos redacta, quam ſingula prout obvenerint exhibeant congeſta.

§. 2. VIRTUTES ADVERSARIORUM Excerptorum: ſive commoda & incommoda.

EX *virtutibus binis*, pro ſpeciebus excerptorum variantibus *cap. 1. §. 7. notatis*, hic *poſterior eminet*: *Enotationis* nempe *commoditas*, dum

(1) *Inſcribi poſſunt excerpta ſubito*, ſine diſtractione, vel interruptione magna, lectionis, aut meditationis, vel auſcultationis, unde quid enotamus cuivis paginæ vacuæ, vel *ex intervallo* demum *titulos indici inſerendo*, (ut non opus ſit memorialibus ſchedis prius inſcribere,) niſi titulum certò ſciamus jam inſcriptum, quem per plura folia diſpergere nolimus.

(2) *Non* adeo *anxiè de titulis cogitandum*, nedum ordinandi illi priusquam excerpatur, quemadmodum alias ſæpe opus eſſe, inferius videbimus.

Sed

Sed *ex tempore* qualitercunque licebit *titulos*, genio ſuo aptos, *effingere*, non tam *ad* judicium quam *imaginationem & memoriam* inde juvandam reſpiciendo. Unde *Juvenibus*, nec dum judicio pollentibus, hæc ſpecies aptior exiſtet alia quavis.

(3) *Parci poteſt chartæ*, bonam partem vacuæ manſuræ ſæpe, in ſequentium ſpecierum aliquibus.

Prior vero *virtus*, *repetitionis* nempe certæ *commoditas*, plus *impedimenti patietur*: dum (1) *Seorſim index inſpiciendus*, paginæ inquirendæ, (2) *Confuſio*, *inevitabilis aliqua*, titulorum coincidentium, ac easdem res excerpendas comprahendentium, ſæpe ſolo nomine diverſorum, *v. SCHEFF. c. 12. §. 3. 140.* (3) *Diſſipatio* item *materiarum*, argumenti ejusdem aut affinium, inevitabilis plane, *per titulos* diverſos non modo, ſed & *folia* ſæpe multum diſtantia, imo & per *litteras alphabeti* plane diverſas, in ipſo indice, perque *volumina* ſæpe diſtincta, non ſine tœdio & moleſtia, periculoque reperiendi quæſita inſigni, ſæpenumero futura.

Quæ tamen omnia *incommoda* probe *obſervatis ſequentibus* multum *imminuentur*.

§. 3. PRÆCEPTA colligendorum optimè ADVERSARIORUM.

QUamvis in hac ſpecie omnium facillima, non æquè multi & graves errores videantur committi poſſe, atque in ſequentibus; omnino tamen

men & hic *monita* quædam *notabilia* occurrunt, ad optimam adverſariorum rationem obſervatu non inutilia ſane futura, ut eleventur incommoda nativa pluſcula, augeantur vero commoda modo dicta.

Et ea quidem ad *duo ſumma capita* nobis univerſa nunc referentur: videlicet tum ipſius *codicis*, tum *indicis* ritè formandi.

Circa codicem ipſum *notandum*.

1. *Materiæ reſpectu*: quamvis nulla non materia poſſit ordine adverſario excerpi, tamen ea potiſſimum huic erit *accommodatior*.

(1) *Quæ ordinem non recipiat* facile *accuratiorem*.

v. gr. *Hiſtorica* talia, quæ diverſo reſpectu posſint ad ſcientiarum diverſa capita referri, hac autem ratione ſub titulos, prout libuerit captui noſtro, promptè diſponi. Imò imprimis quæ *non ut exempla* certorum univerſalium, *ſed in ſe ſingula notabilia*, *plures ob cauſſas*, videntur.

v. gr. *deſcriptiones rituum, perſonarum, urbium*, aut *locorum* aliorum.

Sic & *homonyma* ſeu æquivocationes, cum ad certas ſcientias ægre referantur, hunc ordinem præ methodico recipient. v. *KECK. Manud. ad Phil. Pract. c. 2. p. 1701. Columna 1.*

(2) Quæ *ſub uno titulo plura* ſint collocanda, ſive *numero*, quod etiam lemmatice excerpentibus continget: ſive *mole*, quod *verbotenus excerpentibus* erit perpetuum.

2. *Quantitatis reſpectu*, & *pauca*, & *multa*, atq; ſecun-

ſecundum modo dicta, & *lemmaticè*, & *verbotenus excerpturis*, hic ordo æque commodus erit.

3. *Formæ* & quidem *internæ* ſeu *ordinis reſpectu, tituli concipiendi* ſunt (1) *Non planè incogitanter, ſed accommodati judicio, & imaginationi*, tum in ſe, tum *reſpectu indicis adjungendi.*

Judicio accommodati erunt *tituli modice univerſales*, ne nimis multa compræhendentes, paginas plures, adeoque inquirentem longo tempore occupent: neve nimis ſingulares, infinitate ſua indicem, & inquirentis patientiam nimis onerent.

Utrumque *ſubdiviſione moderata* generaliſſimorum titulorum, haud difficulter evitabitur; ut adeo *neceſſarium hoc adverſariorum vitium haud* ſit *manſurum*, quemadmodum putavit *SCHEFF. c. 12. § 3. p. 140.* Adde *UDENIUM c. III. p. 68. & cap. V. p. 87. DREXELIIq;*, huc, uti jam monuimus, pertinentem doctrinam omnem. (2) Porro *cavendum, ne* prorſus aut propemodum *æquipollentes tituli concipiantur.*

v. g. Amicitia, Familiaritas, Neceſſitudo. Alias enim ſub pluribus titulis, non ſemper ſimul in mentem venturis, diſperſa ægre ſuo tempore conquirentur. Quod *ſi quid* hac in re forte *jam ſit peccatum*, uti vix poterit aliquando non fieri, vel minus cogitantibus de titulis jam factis, vel non ſatis judicio adhuc in eo quod excerpimus argumento pollentibus, ut diverſa ſeparemus, vel congrua uno titulo decente complectamur: tunc *remiſſione facta*, & *titulis omnibus in frontiſpicio* ſimul *collocatis*, & ad ſingulos numeris paginarum ubi continen-

continentur omnibus citatis, *hoc* vitium quomodocunque *poterit remendari.*

V. gr. ſit factus titulus *Eloquentiæ*, alius item alio tempore *Facundiæ*, alius *Diſerti*, vel *Rhetoris*, *Rhetoricæ*, *Oratoriæ*, *Oratoris* &c. Eo caſu ſuaſerim hoſce titulos omnes unicuiq; horum foliorum præfigi, & ſimul indici etiam, inſertis ſingulis, omnes paginas adſcribi, v. gr. *Eloquentiæ* titulus in literam indicis I relatus exhibeat numerum folii quo *Facundia*, *Diſertus*, *Rhetor*, *Orator*, *Oratoria*, *Rhetorica*, &c. contineantur.

Quod *ſi* verò *plures tituli* ſint *confuſi*, *ſignatura diverſa* erunt ſeparanda *ſubnotata*, quemadmodum alias in heterogeniis ſimul excerptis faciendum eſſe, ſupra jam monitum, & *n.* 7. iterum monendum habemus. (3) *Imaginationi* licebit interdum *titulos inſolitos* quidem; atque extraordinarios formare, *nobis* tamen *facile in mentem venturos*, quia vel certis occaſionibus, vel conjunctis loci aliisque circumſtantiis, vel proverbii loco uſurpata inſcriptio nobis ſemper obverſatur.

(4) *Indici* denique *faciliori reddendo titulum concipiemus una voce* ſola, ſi fieri poſſit, vel certe *paucis:* in quibus *una emineat uſu*, vel *communi* omnium, vel *noſtro* certe frequentata valde, & *obvia*, quæ *initialem* indicis literam, & vocem. quantum fieri poſſit, etiam hic *primo loco ponendam*, deſignet. v. *DREX. L.* 2. *c.* 9. *p.* 152.

4. *Formæ externæ reſpectu* notandum.

(1) *Volumen unum* ſufficere plerumque poſſe: certe non *multiplicandum*, niſi (1) *cogente* vel *materiæ multitudi-*

titudine, dum titulis adauctis *ſpiſſum nimis* ſit evaſurum; Quo caſu *continuatis numeris*, quaſi unum volumen foret, potius pergemus, quam ut de novo numeros ordiendo confuſioni anſam præbeamus. Aut *ſi numerus* etiam *excreverit ultra millenarium*, & hoc ipſo mole ſua incommodus fiat ſæpe adeo repetendæ ſcriptioni, ob ſpatii forte parvitatem, vel aliter, poterit *millenario abjecto lineola* ſubducta, *diſcrimen* illud *indicari*, novæ poſt millenarium numerationis. (2) vel cogente *diverſitate materiarum*: unde *ARISTOTELES* dialecticis excerptis, *Logicum*, *Phyſicum*, & *Ethicum* volumen ſuadet. *1. Top. XII.* *Neutiquam* vero *levi ex diſcrimine alio* multiplicatio facienda: quemadmodum *LIPSIUS* fecit *Inſtitut. Epiſtol. c. 12. & DREX. par. 3. c. 1. p. 183. & IV. p. 227.* tria faciens volumina, ubi duo, imo unum ſufficiebant. *v. UDEN. c. VI. p. 84.*

(2) *Codex* ipſe pro ut lubet cuique poterit *compactus* eſſe *nitide*: ſiquidem & molem prævidere poſſit conjectura, & mutationis non faciendæ ſit certus.

Alias *præſtat conſuere pauca folia*, ſemper augenda, & pluribus voluminibus in unum contrahendis apta futura. vid. *UDEN. c. IV. p. 70.* & *mutationibus aliis* etiam, per interjectas chartas alieno forte à volumine loco excerpenti impletas, aut alias inſerendo, vel demendo faciendis.

Quo *inſerendi folia pluſcula* oborto *caſu*, numeri paginarum, ſiquidem interſit eos inſerendarum adeo etiam diſtinctos haberi (forte titulis inſerendis plane novis &c.) poterunt *litteris numeri eidem adje-*

ctis diſcerni. v.gr. ſi *poſt pag.*24. inſerantur folia complura, ſignabis ea 24. *a.* 24. *b.* & ita porrò.

Poſteriori caſu, vero *ſi demenda* ſint *folia*: nihil nocebit *numeros* aliquos *præterire*: cum omiſſa hic nihil nos ſint remoratura, nec ulla lex cogat omnes ordine numeros religiosè adeo collocatos habere, modo collocatorum nullus præpoſtere poſitus confuſionem inducat.

(3) *Forma* commodiſſima erit *quarta*: imprimis voluminis ligati, nec facile *circumferendi*, alias *octava* forte commodior fuerit.

(4) *Scriptura* omnino *nitide* & *diſtinctè* formetur, eatenus certe, ut *titulus* quisque tam *primarius*, quam *ſecundarius*, ſive ſubdiviſus, aut *ſubtitulus* ante dictus, *manifeſte ſeparetur ab excerptis*: imo ſi plurium ſit verborum *diſtinguenda*, *vox referenda in indicem* fuerit, *ordine*, aut
loco, aut
Characttere,
ſignove alio quovis.

(5) *Numeri* potius *ad paginas, vel folia*, quam Titulos *referendi*: ne mutatis hiſce, *variando inſcriptionem* videlicet, vel *augendo*, diviſione in plures unius facta, *titulos*, *contrahendove*, confuſio inducatur.

(6) *Æquipollentes tituli invicem ſubſcribi*, ac indici, quemadmodum mox §. *ſeq.* pluribus dicetur, omnes inſeri debent potius, quam remiſſionibus tædium inquirendi augeri. Sicut & eadem ex ratione *tituli mutatio*, *ſuperaddendo novos titulos priſtinis*, rectius, quam delendo priores, inſtituetur. Tum ob fœdationem codicis, per lituras, indicisque, evitandam, tum ut animus, forte

forte priorum titulorum antequam ſequentibus aſſueſcat, interdum magis memor, eò minus turbetur. Nec enim multitudo inſcriptionum ejusdem tituli facta nocebit, modo unaquæq; ſit in ſuum indicis locum relata. Cum tanto facilius ex multis una ſit memoriæ rurſus obverſatura, & hinc faciliorem factura inquiſitionem.

(7) *Subdiviſiones* titulorum *non* facile, *quemadmodum UDENIO* factum, *concipiendæ*, ob ſpatiorum incertitudinem ac molem, atque titulorum concipiendorum moleſtiam. Sed *potius ſigna certa marginalia, vel alia*, poterunt ſubdiviſionum vicem præſtare, quæ *ſi ſemper fuerint eadem, fronti codicis, ſi certis titulis peculiaria, fronti eorum* poterunt *præfigi, rubro* etiam aut alio colore, prout libuerit ſignis illis, quo magis in ſenſus incurrant, variatis.

v. gr. In excerptis *Philoſophicis* definitionibus, diviſionibus, Prædicatis, affirmantibus, negantibus, Subjectis, dialecticis, vel Argumentis Demonſtrativis, &c. ſua ſigna dari poterunt ſingulis diverſa.

Ita *phraſes* excerpens, *Ciceronianas*, vel *alias*, item *poëticas à ſolutis* diſtinguendas. *Exempla* ſacra profanis, vera fabuloſis, antiqua novis, prout intereſt hæc diſcreta habere, poterit leviſſimis punctorum, aſteriſcorum, aut lineolarum ſubductarum vel marginalium, varietate ſibi, primo ſtatim intuitu ſecernenda, diſtinguere:

(8) *Spatium* præſtat ſingulis *titulis à principio majus* relinqui, quam minus: ne fertiliores opus ſit per plures paginas diſcerpi: ſteriliores enim, ſemper poterunt vacuis ſpaciis, increſcente volumine, inſcribendo novos titulos, expleri.

 (9) *Mar-*

(9) *Margo* plane *relinquendus ubiq;*: ut 1. *Superior titulos*,& ſi jam aliæ paginæ ſint hoc ipſo titulo nunc repetendo impletæ, illarum *numeros*, item ſi velimus ad *ſubdiviſiones* ſignandas tituli primarii progredi, eas una complectatur: ut & *ſignorum* modo *n. 7.* dictas *explicationes*. 2. *Inferior*, *remiſſiones*, ſive *expletæ paginæ continuationem*, qua pagina invenire debeas appoſito numero deſignandam, aut *affinium titulorum indicationem* recipiat. 3. *Laterales* vero *margines* tum *ad ipſius voluminis compactionem* quidem *uterque*, ad *integritatem* vero conſervandam *exterior imprimis* conducet: *qui & ſigna recipere debebit* ſubdiviſionum præcepto modo 7. commendata. (10) Etiam *majora ſæpe ſpatia*, imo *plura folia* conducet *ſingulis titulis dare*, *ut affines tituli*, & facile *ſimul uſurpandi*, poſſint conjunctim haberi, majori cum inquirentis commoditate ſponte ſe oblaturi. Quales ſunt *inprimis oppoſiti*, quorum eſt eadem doctrina; ut habet vulgata philoſophorum regula. *v. gr. Loquacitas noxia. Taciturnitas utilis.* &c. & *condiviſi*, aut *ſubalterni*, vel ſimilis alioqui, & *cognati* valde argumenti.

§. 4. De INDICE ADVERSARIORUM optime adornando.

INdex omnino *neceſſarius*, vel modice tantum excreſcentibus Adverſariis excerptis, *ita conficiendus* erit. *Ut quam commodiſſime inſerantur* illi *tituli* excerptorum, ſive Loca, *reperianturq;*, quoties opus ſit *expedite* quæ ſunt inſerta.

Quæ *ratio* ſemel cognita *etiam aliis* quibusque ſine codice adverſario faciendis, *inſervire* cum *poſſit*, eò erit

erit diligentius *unicuiq; ſtudioſo addiſcenda*, *quo minus* vel *excerpturus* quid, ea *ut excerptorum parte*, vel *non excerpturus*, ad excerptorum *ſuccedanea* ſive vicaria, tam *ante cap. 1. §. 3. & 6.* commendata *rectè* illa *poterit, carere*.

Modus itaque *indices conficiendi* promtus apud *GESNERUM PANDECT. fol. 19. & ſeq.* deſcriptus, & *laudatus* à *SCHRADERO in manuſcripto de excerptis*, ſummatim conceptus hic eſt. Ut *tumultuariè conſignata*, in *foliis altera facie vacuis*, ſorfice *diſſecentur* ſingula, ac *ſeriè alphabetica ordinentur*, denuo *poſt deſcribenda, vel conglutinanda*. Quod ſi libeat plenius ex ipſo auctore cognoſcere, quoniam æque omnium in manibus non eſt, en ipſa illius verba. *Methodus qua quis breviſſimo tempore & ordine optimo indices conficiat, hujusmodi eſt. Quæcunq; in indicem referre libuerit, omnia ut primum ſe obtulerint, nulla ordinis ratione habita, in charta deſcribantur, ab altera tantum facie, ut altera nuda relinquatur. Res ſive ſententia quælibet ſeparata, verſum novum incipiat. Quod ſi dictio etiam, cujus principalem litteram aut ſignificationem aut argumentum diſponendo ſequeris, ab initio ſententiæ fuerit, ut plura ſunt verba (in ſingulis enim non opus eſt) bene habet: ſin minus, majuscula litera vel quovis ſigno, ut atramento ſubducto, aliove, notetur inter deſcribendum, ne qua deinde inter diſponendum confuſio oboriatur. Tandem omnia deſcripta forfice diſſecabis, diſſecta quo volueris ordine divides, primum majores partes, deinde ſubdivides, ſemel, aut iterum, vel quotiescunq; opus fuerit. Aliqui diſſectis omnibus demum diſponunt: alii inter diſ-*

ſecandum ſtatim primam diviſionem perficiunt, dum ſingulas ſchedulas in fine ſingularum diſſectionis mucrone forficis apprehenſas digerunt per diverſa menſæ loca, aut vaſcula per menſam diſpoſita. Ubi plurimæ ſchedulæ fuerint, ſæpius ſubdividere ſuaſerim: ſic enim omnia facilius, & minori confuſione peragentur, neq; toties loco movendæ erunt ſchedulæ, ut aliæ aliis ordinis gratia concedant: quam ſi quis prima ſtatim aut ſecunda diviſione omnia in juſtum & poſtremæ diligentiæ ordinem anxie redigere ſatagat. Cum autem primam primæ partis ſubdiviſionem aggredi volueris, reliquas ſeorſim omnes in vaſa aliqua aut inter librorum folia repone: atq; ita partem primam ſubdividendo in ordinem quem volueris reducito: ordinatam vel ſtatim deſcribito ſi opus ſit: vel ſi prima deſcriptio ſatis benè habeat, quod potius fuerit, agglutinato tantum glutine ex farina: cui ſi nullam xylocollam aut fabrile glutinum miſcueris, facilius relines aut removebis agglutinata, madefacta aqua, ſicubi erratum ſit, aut alioquin in alium uſum de novo ordine cogites: quam ob cauſſam nonnulli in unam chartæ faciem ſolum agglutinare malunt, ut cum libuerit, denuo diſcindant.

Sunt qui non agglutinent, ſed filis libri ad hoc deſtinati inſerant Librum è charta, quæ craſſiſſima & ſolidior reperitur in forma folii (ut vocaut) componunt, & à ſumma parte ad imam filis recta deſcendentibus tranſuunt quatuor æquidiſtantibus, in ſumma, media & infima folii partibus, tranſfixis. His filis deinde ſchedulas inſerunt. Commodius autem fit, ſi præterea chartulæ binæ, ex communi & tenuiori papyro, craſ-

ſiori

ſiori per ſingula folia agglutinentur: quæ chartulæ filis quidem longitudine æquales ſint, latitudine pollicis. Harum una in medio duorum mediorum filorum ſpatio agglutinetur, non tota, ſed tertia tantum ſui parte in medio, ut reliquæ duæ tertiæ utrinq; glutine vacent, & hiantibus eis ſchedularum diſponendarum & filis ſubjectarum extremitates inſerantur, quo firmius hæreant, & ſchedulæ in oppoſitis folii partibus digeſtæ non confundantur. Altera ſimilis chartula ante primum filum ſtatim, ut id prope attingat, agglutinetur dimidia ſui parte, ut hiet, & vacua glutino ſit pars quæ filum ſpectat: In altera verò facie folii, eadem chartula poſt ultimum filum agglutinetur: ſive ut pariter dicam, in utraq; facie verſus interiorem libri partem, qua ligantur & compinguntur libri. Filum exteriori margini proximum, pollicis forte intervallo à fine marginis diſtet. Hujuſmodi folia chartulis & filis inſtructa circiter 100. (alioqui nimium craſſeſceret aut hiaret liber) in unum codicem, apte compingentur. Hac ratione Georgius Joachimus RHETICUS, mathematicus hujus ætatis præſtantiſſimus, aſtronomiæ dejudiciis Pandectas congeſſit.

Hoc certe teſtari poſſum, noſſe me doctos aliquot homines, qui hanc dividendi commoditatem omnibus ferè ſtudiis ſuis adhibeant, & ſive ſcribendum eis aliquid ſive docendum publice fuerit, materiam ſermonis congeſtam & rudem hoc modo diſponant: ſive materiam recens accumulaverint, ſive olim conquiſitam diſtinctis per locos ſchedulis non agglutinatis in uſum reſervent, ut cum opus fuerit ad quodcunq; argumentum

tractandum depromant, & ex multis, quæ in præſentia potiſſimum ad inſtitutum facere videntur, eligant, aciculis configant, ſuoq; modo ad quem voluerint partium Orationis œconomiam diſponant, & quæ videntur deſcribant, aut pro arbitrio utantur, & in ſuum rurſus locum recondant. Materia autem colligitur partim deſcribendo, quam quis paulatim inter legendum obſervaverit: partim diſſectis auctorum communibus locis aliisve libris, ad quod efficiendum duobus exemplaribus opus eſt, quorum unius prima facies, alterius ſecunda deleatur atramento vel rubrica; ut ex duobus rurſus unum veluti exemplar fiat. Hac methodo ad multa profectò laboris compendia, & varias ſtudiorum commoditates uti licebit. Verum hæc ſatis, præter inſtitutum. Compulit me certè ad hanc digreſſionem inſignis rei utilitas, & quam niſi expertus nemo facile quanti facienda ſit æſtimaverit. Non ſolum enim tempori hoc modo parcitur, & labori tædioq; ſcribendi (adde quod per alios quoq; duos pluresve ſimul in omnibus, id eſt, deſcribendo, digerendo, & agglutinando juvari quis poterit) ſed ad ordinem rerum & verborum, ut quam exquiſitiſſimè fiat, neceſſarius propemodum hic modus eſt. Verum ipſe uſus artis Magiſter, & his quæ diximus rectè uti, & nova inſuper invenire docebit. Hucuſque GESNERUS. Verumenim vero, ne quid etiam hic diſſimulem; *Modus ille* mihi, ſicut ad ordinanda jam tumultuariè congeſta, vel à nobis vel ab aliis, ſatis oportunus; ita primitus *dirigendis* nondum excerptis, ſed pro noſtro deſiderio placitoq; adhuc *enotandis*, longe *commodior* etiam poſſit adornari obſervatis

is quæ mox dicemus. Nam hic quidem *Geſnerianus modus* utentem *onerabit* adhuc (1) *tædio deſcribendi* magno, vel (2) *ſchedas* retinentem ſeorſim, *periculo* eas *diſſipandi*: minores maximè, tenuioresq; *lacerandi* etiam, vel certè *confundendi* rurſus inter uſum ipſum facillime: quam ut evitarent incommoditatem, aliqui chartis luſoriis craſſioribus inſcribere ordinanda in ſeriem alphabeticam conſueverunt. (3) *conglutinandi* ſi ſolutas nolis: labore ſatis magno ſordidoque, & eo etiam impenſo, nihilominus. (4) *hiatu voluminis* inconcinno, vel (5) *Schedarum*, ſi ſerventur in illis, per attritum *revulſione*: in primis, ſi per oras externas ſolas agglutinentur, & quæ plura uſus incommoda indicabit varia. Quæ, priusquam evitandi rationem noſtram indicemus, præmittere placuit etiam *ANONYMI* cujusdam *Bibliothecæ univerſali Batavorum* celeberrimæ *Gallicæ inſertam inventionem ſupra jam n. 8. §. 4. c. I. memoratam*. Ea Indicem ſolis numeris paginarum & claſſi alicui titulorum in paginis illis videndorum inſervientem tumultuariè ſic exhibet.

Capiuntur *paginæ duæ, diſtinguendæ lineis in decem ſpatia æqualia ſingulæ*, quæ *ſingulis litteris alphabeti*, (*rejectis* aut in Z, aut plane ut *ſterilibus* K. Y. W.) *deſtinatæ*, *ſubdividuntur quinquies*, *pro numero* quinque *vocalium*, *ut in* SUBJECTA FIGURA patet. Hiſce *ſubdiviſis ita ſpatiis*, *paginæ* deinde *inſcribuntur excerptorum*, quæ *habent titulos*, *initium*, *ab hiſce litteris capientes*, qui proinde *conjun-*

| a	| a
| e 4. 12.	| e
A | i	F | i
| o	| o
| u	| u
| a	| a
| e	| e
B | i	G | i
| o	| o
| u	| u
| a	| a 16. 20.
| e	| e
C | i	H | i
| o 18. 24.	| o
| u	| u
| a	| a
| e	| e
D | i	I | i
| o	| o
| u	| u
| a	| a
| e	| e
E | i. 2. 14.	L | i
| o	| o
| u	| u

	a		a
	e		e
M	i	S	i
	o		o
	u		u
	a		a
	e		e
N	i	T	i
	o		o
	u		u
	a		a
	e		e
O	i	V	i
	o		o
	u		u
	a		a
	e		e
P	i	X	i
	o		o
	u		u
	a		a
	a		e
R	i	Z	i
	o		o
	u	Q	u

Etim aliquot paginis continentur, donec iis completis, ſuper accidentia vel excerpta nova vel tituli novi nova folia requirant *V. gr.* 2. *&* 3. habeat *ab Æ*, vel *abe*, *ape*, *ace*, *ade*, *&c. inchoantes* titulos, donec illis impletis proxima vacua folia ſuccedant. Nam *conſonæ* duabus *vocalibus interjectæ hic non conſiderantur.*

Quæ ſane Methodus indicis, qui *novam* colligendi *methodum* efficiat *non video*: imò nec *commoditatem* ejus novam aliquam inſignem. Compendium enim illud inſcribendorum indici, ut alias conſvevimus titulorum, tot majoribus diſpendiis, quærendi titulum, inventis jam foliorum numeris, in magna excerptorum aliqua copia inprimis ſane plurimum excreturis, abunde penſabitur. Quot enim non tituli ab Æ & a e interjecta conſona poterunt dari, per 20. 30. &c. paginas diffundendi? Easne toties perluſtrare, ad unum inveniendum titulum, erit compendioſius, quam ſemel indici titulum ejusque paginam inſcripſiſſe? Quo facto ſtatim uno intuitu, an, & ubi mihi reperiendus ſit in Excerptis meis quisque titulus, apparebit: cum hic, niſi perluſtratis ante tot foliis neutrum conſtare queat.

Quamobrem ut *quod nobis* hac in parte *compertum* eſt *expeditiſſimum*, indicemus: *capita* hic, ut excerptorum, *materiæ* ſecundum qualitatem, & quantitatem, formæque tum internæ, tum externæ, ſingillatim obſervandam rationem omnem, breviſſimis præceptis expediemus. Et quidem

1. *Materiæ reſpectu*, index bonus *comprehendat* non

non modo *titulos* adverſariorum, ſed ſi ſit opus, etiam aliqua *ſingularia ex enotatis* ſub aliquo titulo, quæ peculiarem titulum mereri non ſunt viſa, ſive ob ſingularitatem, quæ faciebat non ſperari ſimilia illis alia, ſive ob exſcriptionis repetitæ nauſeam evitandam.

2. *Quantitatis reſpectu*, quo *compendioſior*, & *minor mole* fieri poſſit, citra finis ſui, in facilitate quælibet excerpta promtiſſimè inveniendi unice poſiti jacturam, eò melior fuerit.

3. *Formæ internæ*, ſive *ordinis* reſpectu:

(1) *Non ad initialem literam ſolam, ſed ad ſequentes etiam* totius vocis, aut ſi pluribus conſtet titulus, reliquarum etiam, ordinandus index, prout ſibi invicem in alphabeto ſuccedunt: quod in bonis lexicis omnibus obſervari adeo videmus, alias in aliquo inſigniori numero titulorum ejusdem litteræ, tœdio incredibili relectiones omnium ad inventionem unius devorando, quod omnino evitari debet. Id quod facile fiet, *relicto ſpatio inter* quosque *titulos* in indicem redactos, *pro fertilitate litterarum*, ex quolibet dictionario cognoſcenda. Unde ſtatim liquet fertiliores eſſe A. C. J. M. P. S. U. reliquis, & ita porrò, *reſpectuq́ materiæ excerpendæ*, & reliquarum *circumſtantiarum*, v. gr. pro fine, & propoſito multa excerpendi, otio, patientia, &c. conjecturando. Quod non obſervavit *DREXELIUS*, nec ferme reliquorum quisquam, uti nec *SCHEFF. c.* 12. §. 11. *p.* 153. Qui omnes, prima ſola littera ordinata, titulos de cœtero confusè, non ſine moleſtia inquirentis maxima, remoraque concipere docuerunt.

(2) *Si* tamen *conjectura* etiam alicubi forte *aberra-*

erraverit, ita ut *ſpatium nimis anguſtum* creſcentibus titulis *deprehendatur*, poterit *hoc emendari*, *charta inſerta* libro indicis *conſuti*, vel *ſubjecta philyra*, *foliove* ſingulari, poſt litteræ, ſi pluribus ea conſtet foliis, vel poſt totius indicis finem, ubi quaſi adverſariâ deſignatione inſerenda, vel ipſa in ſe ſucceſſive, vel per folia numerata deſignentur: in ipſius indicis loco deinde congruo numerum folii exprimendo, etiam rubro colore, ad evidentiam majorem. *v. gr.* ſi deſit ſpatium *inter honeſtas* & *hoſtis*, numerus (1) rubro interpoſitus denotabit *ſupplementum* primum, cujus inſcriptio ſit *hon - hos* ac dein ſubjiciantur interponenda, ſicut in ipſo indicis ſpatio, ſi adfuiſſet, feciſſemus. Quod ſi porrò alia inſerenda ſint alibi, numerus (2) ſignabit ſecundam additionem, & ita porrò. Qua ratione *mixtura* quædam *adverſarii ordinis*, inevitabilis etiam, *indici alphabetico* oborietur. Quod ſi vel ſic confuſio metuatur, aut mora inquirendi tam diſtràcta, vel ad tempus ita fiet, uti diximus: eritque deinde in omnem eventum *minoris laboris*; atque *tædii*, *litteram indicis unam*, *aut folium ejus* unum *oportuno tempore deſcribere*, quam quolibet importuniſſimo etiam, omnes alicujus litteræ titulos, ad inveniendum quid in Excerptis perlegere. Quod tamen factu foret opus, indicem accuratè ſecundum litteras etiam ſecundas, tertiasve &c. non adornanti, ſed tumultuariè unamquamque titulos eadem initiali ordientes littera omnes ſubnotanti, vel plane Anonymi Galli conſilium ſequenti.

Omnia

Omnium verò *commodiſſimum* erit, quoties divinatio ſpatii futura ſit valde incerta, proindeque ſupplendi ratio hucusque expoſita multum incommodi habitura: toties *alternis ſolis paginis*, aut ſolio quoque *ſine opisthographo*, ſola altera pagina uti. Sic enim & ligatus index ſectione facta foliis interjectis ubique poterit ſuppleri: & ſchedarum etiam quæque ſimili ſectione, interpoſitis aliis foliis, ſuum locum occupare. Quæ ſegmenta ſi minuta nimis evadant, deſcribi hoc ipſo facilius, cogente ſic neceſſitate ſola poterunt, reliquis ut erant omnibus relictis.

(3) *Nullæ faciendæ remiſſiones invicem titulorum æquipollentium*: ſed *unicuiq;* illorum peculiaris *ſuus apponendus* eſt *numerus* illico.

(4) *In dubio* etiam *potius ſpatium majus*, quam minus *relinquendum*: Longè plus incommodi enim orietur ex confuſione, vel deſcriptione nova, ob ſpatium anguſtius: quam ex vacuo tantillo inconcinnitatis aut jacturæ.

(4) *Externa Forma* reſp. circa indicem notandum. 1. *Poſſe quandoq; unum pluribus inſervire voluminibus*: diſtinguendo nempe linea ſubducta, vel parentheſi ſaltim, numerum unius voluminis à numeris alterius: certe *nunquam deberi multiplicari citra neceſſitatem*, prout fecit *DREX. part. 2. c. 3. & 7. p. 172.* (2) *Poſſe* & *libello* & *Schedis comprahendi*, ſed *præſtare libellos*, ob uſum crebrum & cum voluminis uſu junctum (3) *Præſtare indicem habere ſeorſim*, quam codici alligatum, imprimis ſi pluribus debeat inſervire, vel ſpiſſioribus voluminibus.

(4) *For*

(4) *Formam eandem*, aut *minorem* certe, non majorem, *quam codicis* præſtare. (4) *Dividi* etiam *folia indicis* ligati *poterunt*, ſi breviter concepti ſint tituli, *fracto ſemel aut bis perplicaturam folio in duas treſve partes* oblongas à capite ad calcem, quarum quæque ſua ſerie titulos quaſi nova pagina recipiat, unde ſpatia creſcent titulorum, ſine multiplicatione foliorum, eruntq; ſimul eò plures tituli uno conſpectu commodius luſtrandi. (5) *Multiplicatis* etiam *foliis* ligatorum indicum æque ac ſolutorum, pro qualibet litera, quantum opus pro recipienda *copia* titulorum *majori* (6) *Literarum ſeries* hoc caſu *adglutinatis Schedis*, folia cujusque litteræ prima diſtinguentibus poterit oculis evidentius exponi in libellis indicum conſutis, ita ut prominentes illæ Schedæ apprehendi, atque evolvendæ tanto promtius litteræ deſideratæ indicis inſerviant. Nempe à capite foliorum ad calcem usque, deſcendendo agglutinatæ, ut ſe invicem excipiant decenter ac ordinatè. Quod ſi non ſufficiat ſeriei totius alphabeti longitudo unius folii; adſcendendo altera dimidia pars litterarum alphabeti, poſtquam deſcendendo exhauſta eſt una, ſubſequatur (7) *Singulis* vero *foliis* cuique literæ dicatis, evidentia comparari poteſt in conſuto vel ligato indice, *ſectis artificioſe marginibus foliorum in duodecim aut viginti quatuor parva intervalla*, pro ſucceſſione literarum proportionate aucta, ut una, vel, ſi forma ſit folii parva nimis, duplici pagina litteræ omnes exhibeantur, modo mercatoribus perfamiliari. Quamvis tamen etiam operæ huic

ſubter-

ſubterfugiendæ neque commoditatem & concinnitatem eam quærenti, ſufficere poſſit utique, ſola foliorum ſingulorum ſuperne facta inſcriptio, ad ſatis promptam & commodam inveniendi facilitatem, ex reliquis antea dictis nihil negligenti.

SECTIO VII.

DE

Alphabeticis Excerptis.

§. 1. Alphabeticorum Excerptorum DEFINITIO & NATURA.

ALPHABETICA EXCERPTA ſunt *in quibus tituli ſtatim ab initio ad ſeriem alphabeti diſponuntur.*

Patet hanc *ſpeciem artificioſiorem*, & *difficiliorem* aliquanto eſſe priori: imo *ex illa natam*, ad evitandum tædium indicis conficiendi, & ſubinde inſpiciendi.

Modus alphabeticorum excerptorum *conficiendorum*, *duplex* eſſe poteſt. Nempe aut 1. *Per Schedas ſolutas*, & prout e lubitu, *quovis ordine* adeoque & *alphabetico collocandos*, aut 2. In *voluminibus conſutis*. Ex quibus *difficilior* erit *poſterior* hæc ratio excerpendi: *niſi aut* (1) *definitus ſit numerus titulorum*, & ſecundum ordinem alphabeticum *ante digeſtus*: quemadmodum ejus generis farraginem

 raginem

raginem certam certi Scriptores artis excerpendi collectam nobis dederunt, interque illos præcipue *KECKERMANNUS Ethica, Oeconomica, & Politica, titulorum Alphabeta* nobis exhibens, *& Conſilii ſui de Locis Communibus c.3. p. 6. præparata excerpta alphabetica* hæc vocans. Qualis tamen farrago *vix* certæ alicui materiæ, nedum omnia omnis generis vocum, & ſermonis, rerumque Excerpta molientibus *ſufficiens* poterit excogitari. Aut niſi (2) *volumina ita ſint adornata ut intercalari pro lubitu ſemper aliqua poſſint.* Quod ipſum *in titulis fertilioribus, quorum ſinguli folium unum aut plura impleant, facile* fuerit: & tamen aut foliorum, implendis vel impletis appoſitorum vacuorum, aut reſectis iis quæ vacant foliorum partibus, ſegmentorum inconcinnitatem aliquam relinquet. *In reliquis* non niſi *alternis paginis*, quemadmodum circa indices ſectione proxima monuimus, ſolis uſurpatis commode procedet, *citra mixturam ordinis adverſarii*, uti mox dicemus. *Talia* ſunt: in vocibus, *Lexica* & *dictionaria alphabetica* cuncta, ſive lingvæ addiſcendæ univerſim, ſive Philoſophica technicis vocibus ſpeciatim ad unum omnia. In phraſibus, *Parei* Calligraphia, *Schönslederi* apparatus &c. In hiſtoricis, *Bayerlingii* vaſtum Theatrum vitæ humanæ, Tomis pluribus in folio. *Stephani, LLoydii, Morelli, Hoffmanni, &c.* Lexica hiſtorica & Geographica &c. In univerſalibus ſententiarum Florilegia, *Langii, Gruteri, Nani, Magiri, Meyfarti, &c.* Lexica philoſophica *Goclenii* 4. *Volckmari* 8. & aliorum. Diſtinctiones *Caſtanæi, &c.*

§. 2. De

§. 2. De COMMODIS & INCOMMODIS Alphabeticorum excerptorum.

EX Virtutibus binis, variationem pro varia excerptorum ſpecie recipientibus, hic quidem *enotationis commoditas* in eo *præſtat adverſariis* Excerptis, *quod indicis cura ſuperſedetur*, *nec opus* eſt *titulum quemq́ bis*, videlicet excerptis, & præterea etiam Indici *inſerere*: quotiesq́; illi ſubſcribendum aliquid eſt, primo per indicem, deinde per codicem excerptorum *inquirere*, dum ipſa excerpta ſimul indicis ſunt loco.

E contrario *minor eſt multum enotandi commoditas* hic in eo, *quod 1. neceſſario literam, & ejus titulum certum, prius ſemper oportet inquirere*, quam poſſimus aliquid excerpere. Et quamvis id ſemel hic tantum fiat, ubi in adverſariis bis illud facto erat opus, tamen & hic plerumq; moleſtior eſt illa inquiſitio, propter diſtributos magis, nec æque ac per indicem primo conſpectui ſtatim ſeſe una offerentes titulos.

2. *Magis attente cogitandum* eſt *de titulis concipiendis*, ut ſtatim ſub literam certam, loco ſuo reponantur, ubi ſemper deinde inquirantur.

3. *Titulis ſingulis ſpatium* certum *aſſignandum divinatione* aliqua eſt. Ea vero cum *facile fallat*, *laxum nimis* ſpatium chartæ vacuæ diſpendium, & evolvendæ tædium: nimis vero *anguſtum*, confuſionem parit &c. Quæ utraq; magis adhuc

erunt metuenda, ubi ne tituli quidem ſint determinati, & præparati, quod raro diximus fieri poſſe.

Utendi porrò excerptis alphabeticis, & enotata *inveniendi commoditas*, iterum in eo quidem *major* eſt, *quòd indicis inſpectione nulla* hic *opus*. Sed eadem iterum *minuitur*, dum (1) *operioſior* eſt *titulorum hic inquiſitio* plerumque. (2) *Confuſio inevitabilis* hic iterum *ob Synonymiam*. (3) *Diſſipatio itidem ac in adverſariis manet* materiarum cohærentium.

Ut adeo *generatim judicando*, *hæc* ſpecies *præ priori* plerumq; *parum aut nihil commodi*, maxime *in voluminibus* ligatis: *facile* vero *multum incommodi ſit habitura*, niſi præceptis ſequentibus dextre adhibitis emendetur quantum poteſt. Quæ proinde ligata etiam volumina, ut incommodiora præcipue reſpicient: quibus ſublevatis, facilius erit cuique, ad eorum imitationem, in ſchedis eadem obſervare.

§. 3. PRÆCEPTA optime concipiendi Alphabetica Excerpta.

UT quantum per naturam hujus generis excerptorum fieri poteſt, *incommoda* modo memorata *minuantur*: notandum

1. *Materiæ Reſpectu*: quamvis *omnis generis* tandem materiis accommodari poſſit alphabeticus ordo: *commodiſſime tamen* illum adaptari poſſe *iis* (1) *Quæ Methodum* meliorem, & imprimis *ſcientificam non recipiunt*. Qualia ſunt, præter *vocabula* ſingula, & *in-*

terpre-

terpretationes, atq; *obſervationes* circa illarum ſignificationem & uſum, *hiſtorica, non* tam *exemplum univerſalibus* præceptis, quam in ſe notabilem obſervationem ſui *facientia.* Qualia etiam adverſariis opportuna diximus. (2) *Quæ multitudine titulorum*, & *paucitate ſingulis ſubſcribendorum, indicis* potius *ſimilitudinem habent*, quam ut confectionem indicis tolerabilem admittant, aut mereantur. (3) *Quæ titulorum fertilitate* tanta, ut ſingulis ſingula *folia* vel plura dari poſſint, gaudent. *V. gr.* Si *virtutibus*, aut *vitiis ſingulis, Ethica* ſua *ſpecialis* colligenda ſit. Ubi cum quilibet titulus quaſi volumen aliquod methodicum conficere poſſit, philyræ ſingulæ ſingulis pro lubitu dicatæ, facile acu compactæ, in folio integro, ſine fractura ordinabuntur alphabeticè. Neq; referet multum eas colligari, aut ſolutas ſervari: quamvis poſterius ſemper ſit futurum intercalationi, mutationisq; alii cuivis oportunius, ut in meis huc pertinentibus excerptis ſum expertus. (4) *Quæ numerum* & *ſpatium titulorum plane* aut *pene certum recipiunt.* (5) Quæ *Synonymiis non multum ſubjacent.*

Adeoq; potius ſingularia propriis nominibus inſignita: *quam univerſalia*, maxime in populi uſu frequentata, proindeq; nomenclaturas varias ſortita: v. gr. moralia; in quibus *SENECA* dudum conquerente, *vera rerum vocabula amiſimus*, ſecus ac in Mathematicis tantum non omnibus, phyſicisq; bona ex parte: Nam Logica etiam & Metaphyſica, malè philoſophan-

tium uſu præpoſtero, non minus quam vulgi moralia ſunt in ambiguitatem inextricabilem ferme redacta.

2. *Quantitatis reſpectu.* 1. *Lemmatica in ſe* commodiora huic ſpeciei erunt: *niſi fertilitas titulorum* valde impar, *faciat excreſcere* ſpatia ſingulis aſſignanda incerte ac *inæquabiliter* admodum. Cæteroqui 2. *fertilitas titulorum ad folia integra*, vel ulterius excreſcens, hic etiam oportuna erit: ac *eo caſu verbotenus etiam excerpendis* hæc ſpecies apta.

3. Formæ internæ, ſeu *Ordinis reſpectu* (1) *magis cogitatè* generatim hic concipiendi tituli, maxime in præparatis libris, ob remiſſiones tædioſiores, & incommodiores hic futuras. (2) *Subdiviſiones*: niſi, quemadmodum ſectione præcedente diximus, *ſignaturis evitari* poſſint, *alphabeticæ* iterum faciendæ: vel methodica ordinaria aliqua, ſi ſit obvia, per omnes titulos obſervanda. Nam adverſarium ordinem hic miſcere, & quod aliqui ſuadent, eundem indice iterum peculiari ſublevare, foret omnem uſum alphabeticorum excerptorum per adverſariorum mixturam deſtruere. (3) *Æquipollentium*, ſive *Synonymarum vocum evitatio*, quantum fieri poteſt, tentanda. Ubi autem *impoſſibilis* ea ſit evitatio, *remiſſiones* ad titulum forte propter nominis diverſitatem ſeparatum, ubi re ipſa potuiſſet uniri, vel certè ſi unicus ſolus ſit excerptis impletus, ad eundem, in principaliter electi & excerptis ditati *cujusvis tituli*, *initio*, aut *fine*, erunt *adjangendæ*: aut *indice peculiari* concipiendæ. *V. gr.* ſi *Charitatis* aliqua, &

ami-

amicitiæ titulo aliqua ſubjeceris excerpta,utrobiq;, fiat remiſſio: hic addendo, *Vid. Charitatis*, illic, *v. Amicitiæ* titulum. Quod ſi charitatis titulo ſoli hucusque ſubjeceris excerpta,ſuffecerit ad Amicitiæ vocem addidiſſe remiſſionem adſcribendo, *v. Tit. Charitatis*.

(4) *Monita ſuperioris ſectionis de indice faciliori* reddendo, ut & *de* ipſa *indicis forma interna*,huc *omnia* quantum fieri poteſt *adaptanda*.

4. *Formæ Externa* reſpectu. (1) *Potius Schedæ* quam volumina generatim hic uſurpanda.

(2) *Codicem*, omnino volenti, minimum hoc vitandum, *ne arctius conſutus* intercalationi reddatur ineptus.

(3) *Formæ quantitas* ſive menſura *adaptanda* erit *fertilitati*,vel *ſterilitati præſumtæ titulorum*: ita ut minima forma minus fertilibus titulis eligatur: quandoquidem altera tantum folii pagina uti,per ſe futurum ſit inconcinnitate,atque mole tædioſum, ſumptuq; oneroſum forte pauperioribus: adeoq; nonniſi neceſſitate aliqua urgente,ac ubi certiſſimus ſis, quod intercalatione, nullo modo divinanda, ſæpiſſime ſis opus habiturus, & deſcriptio valde oneroſa futura, ob multitudinem Excerptorum, evitandæ confuſionis magnæ certæque gratia,demum amplectendum.

(4) *Inſcriptio titulorum per paginas* libri plures concinnandorum, per *Schedasve ſolutas* ſingulas *repetenda*, quoties titulus unus plures occupaverit ſchedulas, fiat etiam *cum ad-*

 ditione

ditione numeri , unde ſtatim intuitu primo conſtet, quot paginæ jam ſint ante repletæ. Quod *maxime in ſchedis* erit obſervandum,ne una ſola inquirenti, ſæpe feſtinanti,tantum inſpiciatur, aut ut vel ex ipſa memoria temporis antecedentia potius quam ſequentia , vel vice verſa inſpici conſultius eſſe,ſtatim occurrat,& quæ alia tam levis obſervatiunculæ commoda non levia, poſſint oboriri, pro varietate circumſtantiarum varia magis,quam ut minutatim hic omnia poſſint numerari.

(5) *Margo* ſemper *remisſionibus* faciendis relinquendus, vel *ante initium*, vel *poſt finem cujusq; tituli* vacuus aliqua ex parte, niſi malis totius paginæ ſuperiorem partem aliquam ſpatio vacuo dare,cui remiſſiones titulorum plane nullis hoc loco excerptis inſtructorum inſcribantur. *v.gr.* ante titulum *Charitas* , relicto ſpatio, cui inſcribatur *Charitas*. v. Amicitiâ. Quo caſu ei parti hujuſce folii etiam *adverſæ paginæ* conducet *nihil inſcribere* , *ut* ſi forte titulus ſit interjiciendus, *facta ſectione* folii ligati, *remiſſio* non obſtante intercalatione ſuum *locum tueri poſſit*. Ita *inter charitas*, & *Claritas*, *cibus* , *circumſpectio*, *civilitas*, & alii tituli interponendi , ſectione ſuperioris partis facta,citra deſcriptionem , hoc obſervato modo, interjicientur ; eritq; hoc ipſo tanto evidentior ea remiſſionum diſcriminatio , ſi tenui tali lacinia potius,quam folio integro contineatur. Inſuper *ante dicta de forma externa adverſariorum* numero 7. 8. & 9. *deq; indicis externa forma* numero 6. notata huc *repetantur*, & accommodentur quantum poſſunt omnia,*ex proximè præcedente Sect. §. III. & IV.*

SECTIO

SECTIO IIX.

DE

Methodicis Excerptis.

§. 1. DEFINITIO & NATURA Methodicorum Excerptorum.

METHODICA EXCERPTA ſunt, quæ *ordine* illo *quo natura ſua cohærent* ea *quæ excerpenda* ſunt, *quam artificioſiſſime* diſponuntur v. gr. *Univerſalia ſecundum ordinem ſcientiarum* : *Singularia*, prout vel *acceſſoria* , vel *exempla hiſce* præſtant *ordine conſimili*, vel alias temporali ſucceſſione, locorumve in quibus res geſtæ ſunt, ſimilisq; alicujus circumſtantiæ, cum eadem conjunctæ, ac naturaliter aliquem obvium ſenſibus externis internisve nexum habentis, ſerie atque diſpoſitione obſervata.

Unde adeo *duplex genus Excerptorum* oriri queat, *Alterum*, quod *breviarium* aut *Compendium*, vel *ſummarium* vocare poſſis. Quando nempe *Lemmata* vel *Tabellas* , memoriæ ſummorum capitum atq; texturæ alicujus auctoris, & connexioni tractatarum ab ipſo materiarum excerpimus. Quod ſane ſtudium ad repetitionem, & memoriam faciliorem utiliſſimum eſt, in primis eorum, quorum ipſe ordo retineri meretur, puta philoſophiæ, genealogiæ, &c.

Alterum quod proprie *Collectaneorum excerptorum* nomen ſuſtinebit, ac nobis nunc maximè conſide-

randum venit, in congerendis pluribus ad ordinata quæque *in* certam diſpoſitionem *capita* conſiſtit.

Modus ea *conficiendi* tum *in libris* tum *in Schedis* talis erit: ut *tituli prius* ſecundum realem ordinem *concepti, ſpatiis præſumtione formatis ordinentur*, quo deinde ſingulis congrua ſubſcribantur.

v. Stübel. *pag.* 20. &. 21. ibiq; citatos laudatores hujus ſpeciei excerptorum: cujus generis *impreſſa exempla* præbere poſſunt *Syſtemata* majora *Scientiarum* quævis, & eorum inſtar loci communes adornati. v. gr. *THEOLOGICI Gerhardi* ſatis vaſti, contractiores vero *Melanchthonis, Havenreſſeri*, & aliorum *BIBLIOGRAPHIÆ* auctorum methodicè digeſtæ, ad rerum imitationem, v. gr. *GESNERI Pandectæ*, & Bibliographiæ variorum varii argumenti. *SENTENTIARUM*, *Lipſii* Politica, Ethica *Jonſtoni*, & hiſce uberiora longe Parænetica *Mechovii*, *EXEMPLORUM*, *Zwingeri* Theatrum vitæ humanæ, priusquam à *Bayerlingio* in alphabeticum ordinem redigeretur. *PHRASIUM*, Ærarium Poëticum *Weinrichii*, Theſaurus Epiſtolaris *Starckii*. *VOCUM* etiam ſingularum Nomenclator *Junii*, Theſaurus L. ſerm. *Calviſii*. &c.

§. 2. De COMMODIS & INCOMMODIS Methodicorum Excerptorum.

COmmoditas *enotandi* omnino ſic *minor* eſt, quam in prioribus binis ſpeciebus. Quandoquidem (1) *judicium exactum*

actum requiritur, ad ordinandos tam methodice *titulos, qui* omnino, *priusquam excerpatur, diſpoſiti eſſe debent.* Unde non niſi *adultioribus, nec materiæ excerpendæ* amplius *rudibus*, conveniet hæc ſpecies excerpendi. Neque (2) parvum etiam eſt *tædium occupato* in lectione, auſcultatione, vel meditatione, *cogitare ſollicite, ad quam partem methodi* tam accurrate id, *quod excerpendum* occurrit *pertineat.* Adde (3) quod imperfectis adhuc manentibus ſcientiis cunctis, *ſemper in hoc ordine reſtabit aliquid perficiendum*, ac *emendandum.* Unde non poterit fermè ſatis exacta & conſtans diviſio chartarum in ſingulos titulos adornari unquam.

Inveniendi facultas etiam in eo videtur *impeditior*, quod admodum præmeditate ſemper cogitandum eſt, ad quam methodi accuratæ partem relatum ſit, quod inquirimus.

Pro quo tamen *illud lucri* habemus ex hac methodo:

Quod (1) *homogenia*, ſeu generis ejusdem, & *ſimul ad uſum ordinarie adhibenda* excerpta, *conjunctim inveniemus.*

Imo (2) totam ideam alicujus ſcientiæ, vel methodi alterius, v. gr. *ſcientiæ* alicujus, vel *Hiſtoriæ univerſalis*, vel *Geographiæ*, poterimus ita crebra iſta inter enotandum & inquirendum *repetitione, memoriæ infigere*, ut non facile nobis iterum excidat. Quod ſane utrumque non erit parvi momenti, modo ſuperare memoratas difficultates poſſimus: cui rei conducent ſequentia præcepta.

§. 3. PRÆCEPTA methodice quamoptime excerpendi.

SUperandis ergo hujus ſpeciei Excerptorum difficultatibus, *monita* ſequentia erunt *obſervanda.*

1. *Materiæ reſpectu*: non poterit hæc ratio excerpendi æque locum habere in omnibus omnis generis notabilibus, quemadmodum videtur voluiſſe *KECK. Conſ. de L. C. c. 3.* & *Manud. ad Phil. Pract. c. 2.* Nam (1) *Ambiguæ voces*, vel ipſo Keckermanno monente, priusquam diſtinguantur, exceptis tranſcendentibus metaphyſicis, ad certam diſciplinam pleræque nullam pertinebunt: adeoque *proratuaria homonymorum non poterunt hac methodo* excerpi commode ſatis. (2) *Deſcriptiones* perſonarum, factorum, locorumque minutiorum, non recipient commode hanc methodum. Relinquentur ergo *methodice* nobis *excerpenda* 1. *Univerſalia*, *ſcientiarum partes conſtituentia.* 2. *Singularia* rerum, quæ ut univerſalium *exempla* conſiderantur, aut *acceſſoria* v. gr. Auctores ſive Scriptores partis cujusque ſcientiarum. 3. *Singularia realia*, *quæ* licet univerſalium exempla non ſint, *ordinem* tamen ſuum *habent* aliquem *naturalem* obvium. v. gr. (1) *temporis* ſeriem, ut hiſtoriæ, vitæ, vel populi alicujus. (2) *Locorum* ſpatium, ut Geographicæ, vel chorographicæ, aut Topographicæ deſcriptiones, &c. v. c. III. § 4. (3) *Circumſtantiarum,*

rum, aut *partium*, nexu aliquo alio evidenti ſenſus externos præcipue afficientium. v. gr. Deſcriptionis animalis, aut perſonæ humanæ alicujus, quod ad corpus, à capite ad calcem: Domus, horti &c. qualiter ingredientibus ſeſe partes poſſint offerre.

Ita de re veſtiaria, à capite hominis ad calcem partes tegentia ſingulas primo, dein plures, denique totum corpus tectura poterint ſuis titulis ordinari. Et ſimiliter in cœteris. (4) vel *internos* certe *imaginationis*, & hinc memoriæ *ſenſus*, ſi non per externa ſenſuum objecta, ſaltim per internam repræſentationem *afficientia* perquam evidenter: quod imitatione plerumque fiet ſenſibilium externorum. V. gr. fabuloſæ deſcriptiones, ad imitationem veri factæ, ſi per partes debeant excerptis inſtrui. Ita collecturus de Diis antiquorum, de Campis Elyſiis: &c. partes, quaſi verarum perſonarum, & locorum, diſponet etiam fabuloſas 4. *Voces non nimis ambiguæ, Phraſesq́ʒ* ad titulos rerum quas exprimunt referendæ. Ex quibus omnibus *omnino unicuiqʒ partem eam, quam præcipue excolendam ſibi vita omni elegit, hac ratione profuerit excerpſiſſe* v. gr. *Theologo Theologica, JCto Juridica, Philoſopho Morali Moralia, Phyſico Phyſica*, univerſalia, & ſingularia realia, iisque reſpondentia vocabula, & locutionum genera excerpenda.

2. *Quantitatis Reſpectu: multa* ad methodicam unius ſcientiæ, vel hiſtoriæ rationem totam, vel ex parte conficiendam tendentia collecturis, hæc ratio excerpendi conveniet. *Pauca* enim tam operoſæ di-

ſæ diſpoſitionis curam *non merebuntur*, *neq; titulos* tam ſollicite diſcriminatos digne *implebunt*.

3. *Ordinis Reſp.* 1. *Tituli* vel *ſcientifico* vel alio *naturali ordine*, aut eum imitante *artificiali*, diſponendi ſunt ſollicite, *ad judicium* potius quam ad imaginationem arbitrariam omnia referendo v. *SCHEFF. c. 12. §. 7.* ita ut *omnes diſciplinæ methodive* nobis propoſitæ *partes*, *titulis primariis*, *notionem* aliquam *ſimplicem* aut *compoſitam* potius, quam propoſitionem *exprimentibus exhauriantur. v. KECKERM. pag. m. 1700. col. 2.* Hi tituli porro ſubdividendi erunt in *capita*, *prout illud thema* ſimplex, ſeu notio ſimplex, aut compoſita *recipere poſſit.* e. gr. *pro collectaneis methodicis Ethicis* ſint tituli *primarii* Ethica, Bonum, Operatio, Summum Bonum, Virtus &c. horum ſingulis *ſecundarii* tituli ſint iterum ſui quoque ſubordinati, *v. KECKERMAN. p. m. 1703.* v. gr. *Nominis conſideratio*, *Definitio*, *Diviſio* vel partitio, *Attributa*: Et hæc iterum varia cum ſint, diſtingui poterunt denuo, ut ſeparatim habeantur *Cauſſæ*, *Effectus*, *Propria*, *Accidentia*, *Repugnantia*: prout illa ſeorſim conſiderari, ſcopus excerpentis, & materiæ ratio exigit. Ubi etiam *addi poterunt* eadem ratione *ſingularia* ſuis univerſalibus *exempla*, item *Auctores*: *falſa* oppoſitis veris, adeoque *objectiones*, *errores &c.* *concreta abſtractis*, *operationes habitibus*. *Vocabula* item & *Phraſes* notabiles ſuæ quæque materiæ reſpondentes. *v. KECKERM. p.* 1701.

2. *Differenda* ſæpe *ordinatio* excerptorum propter difficultatem: ita ut prius in libel-

bellum rapſodicum, aut chartam ſeparatam conjiciatur ſuo dejnde loco inſerendum: vel ſi ſchedacea ſint excerpta, ſeorſim primo reponenda, donec pleno cum judicio faſciculis diſpoſitis inſerantur.

3. *Ad plures diſciplinas* cum pertinere quandoque poſſit ejusdem rei excerpendæ conſideratio: nedum ad titulos diverſos primarios aut ſecundarios: vel *pluries enotanda* erunt eadem, vel certe *remiſſioribus*, aut *lemmaticis allegationibus* indicanda in reliquis locis, poſtquam in uno ſint exacte excerpta v. *KECKERM. p.* 1700. *col.* 2.

4. Si unquam alias, certe hic *neceſſaria* ſemper erit *ordinis emendatio*, judicii noſtri vel ſcientiæ ipſius incremento ſubſecuto. Levi tamen de cauſſa non erit mutatio crebra inſtituenda, & potius una quam parvæ multæ, quoniam his memoria citius confundetur.

5. *Conſpectus titulorum ſeparatim habendus* eſt ordinatus, ut uno intuitu conſuli, repetique prout lubet poſſit.

6. *Siquis diffidat memoriæ*, aut metuat ejus impedimenta notabilia v. gr. itinera, morbos, occupationes &c. *licebit ei primarios titulos*, imo & aliqua *maxime notabilia* excerptorum, *in alphabeticum indicem redigere*, quem conſulere poſſit, ubi alias expedire ſe nequeat. Conſulente jam hoc utiliter etiam laudato ſæpius, & hoc in genere quidem excerptorum laudando præ omnibus *KECKERMANNO*, *p.* 1703. *col.* 2. Et ſane in copioſis & ſubtilius diſcretis quibuscunque methodicis excerptis, etiam continuo

circa

circa eadem occupato, non erunt ſuperflua indicum alphabeticorum ſubſidia ferè ulli, niſi divina plane memoria prædito; de cujus tamen etiam perpetuitate cum nemo ſit ſecurus, apparet, tutos nos indice tali non modo reddi de futuro, ſed de præſenti etiam, contra quaslibet memoriæ perturbationes quotidianas, obventuras vel maximè feſtinantibus, aut in meditatione, methodicorum ſane nunquam æquè ac aliorum perfunctoria, occupatis.

Ego ſane, vel in mea Philoſophia Practica, nunquam tot annis è manibus ſepoſita, poſtquam inſtructiora paulo fuere mea excerpta methodica, neceſſe habui, mox juventutis vigore primo abſumto, indicibus alphabeticis uti; ne vel tœdio inquirendi moleſtiſſimo, vel confuſione perniciosiſſima, uſum meorum excerptorum mihi maxima ex parte interverterem.

7. Continget tamen interdum inferiores *titulos* ſeu ſecundarios, imo *quandoque* primarios etiam evitandarum ſubdiviſionum multarum gratia, *rectius ſtatim alphabetice ordinari* v. g. in Ethicis Virtutes & Vitia cardinalibus quatuor generibus ſubjecta, in medicina morborum.

4. *Formæ Externæ reſp.* (1) *in ſchedis potius*, per faſciculos ſecundum claſſes ſcientiarum & partes digeſtos, hæc excerpta fieri debent, ob incertum titulorum numerum ac ordinem, nec facile divinandam titulorum ſingulorum molem. Certe qui *volumina* volet, omnino *leviter tantum ligata* faxit, quibus inſeri ſemper aut eximi folia poſſint, *niſi velit adverſarium volumen methodico ſuccenturiare.* Aut partes jam habeat

ita

ita elaboratas, ut de novis interponendis, aut conſtitutis ſemel mutandis, minus habeat ſibi metuendum.

(2) *Forma major*, & ſæpiſſime *in folio* integro præferenda: ne & ſolutæ chartæ facile confundantur, & ligatæ nimis ſæpe intercalationem exigant, & diffundant quærentem per multa folia. (3) *Volumen cuiq; ſcientiæ* aut *faſciculum aſſignare præſtat ſeparatum*: ne nimis vaſta fiat moles, imprimis ſi exempla & dictiones rebus univerſalibus adjungamus.

(4) *Tituli diſtinctâ ſcriptione* concipiendi, *maximè primarii*, quibus *minimum tribuatur* oportet *folium integrum* voluminis, aut *involucrum peculiare in faſciculo*; *ſecundariis deinde numero Romano*, *partibus* vero illarum *barbaro* diſtinguendis: quarum *iteratæ diviſiones*, *aliis ſignis*, v. gr. literis Latinis, Græcis &c. ſecernentur, aut numeris minoribus non modo, ſed parentheſi, circulo &c. incluſis, aut alioqui, prout lubet, evidenter ſaltim, & citra confuſionis proclivitatem, diſtinctis.

(5) *Etiam realia à dictionibus*, *univerſalia* ſeparentur à *ſingularibus*, &c. non tam peculiaribus ſpatiis aut diviſionibus, uti voluit KECK. *p.* 1072., unde multiplicatio chartarum ſæpe non implendarum fœda orietur: quam *potius diverſitate characterum*, *lineisve* ſubductis, aut *marginalibus*, aliisve *ſignis* arbitrariis. (6) *Margo imprimis lateralis exterior, remiſſionibus* faciendis, ſemper *relinquenda*: *ſuperior* item repetendis *inſcriptionibus titulorum primariorum*, aut *diviſionibus in libros* aut *ca-*

pita factis, quo ſingulæ partes ſeparatim prout lubeat, poſſint repeti, vel alias quoquo neceſſario modo in uſum adhiberi.

Plura pro arbitrio cujusque magis, quam ex ipſa natura excerptorum addenda, v. gr. *indicem Auctorum*, de quo *KECK. Manud. ad Phil. Pr. c. 2. p. 1703.* & ſimilia, ſtudio præterimus, cum & *infinita* excogitari posſint. & *omnibus excerptorum* ſpeciebus accommodari ejus generis quæque, pro ingenio, captuque vel voluntate, aut circumſtantiis aliis excerpentis.

SECTIO IX.

DE

Commentariis Excerptis.

§. 1. DEFINITIO & NATURA Commentariorum Excerptorum.

EXCERPTA COMMENTARIA, quæ ACCESSORIA etiam vocare liceat, ſunt illa, *quæ ad ductum libri alicujus jam conſcripti, excerptorum initium quaſi nobis præbentis, additamentorum inſtar digeruntur.*

Modus conficiendi hoc genus excerptorum *varius* eſt. e. gr. (1) *Chartis ſolutis interpoſitis*, qui omnium rudiſſimus eſt.

(2) *Marginalium annotationum*, ipſo margine hunc in finem, agglutinatis, prout opus, ſpatioſis chartis, extenſo. (3)

(3) *Chartis vacuis interjectis ligatis*, una cum ipſo volumine pleno.

(4) *Diſſecto libro*, ad quem commentari volumus; *in partes*, prout expedire videtur, diviſas *adpræſumta* annotationum *ſpatia*, puris ſive vacuis *majoribus chartis agglutinandas*. Quo caſu vel geminatum ejusdem editionis librum, vel ſpeciatim altera tantum pagina impreſſum habere oportet.

(5) *Adverſario volumine addito*; cujus tituli, paginæve referantur ad Auctorem electum.

(6) *Methodicum volumen imitatorium* alterius conficiendo, ſive quod partes atq; titulos ejusdem; ſpatiis prout viſum *eſt expedire*; aut æqualibus, aut inæqualibut, excerpendorum præſumtæ quantitati accommodatis imitetur. *V. gr.* ut, quæ paucis lineis auctor eſt proſecutus, iis nos paginas, aut folia tribuamus integra, ſi tantum excerptorum, ut impleri poſſint, iis acceſſurum ſperamus: & vice verſa, foliis ejus aut paginis integris, quibus parum addi debeat, exigua ſpatia noſtri voluminis aſſignemus, numero nihilominus paginarum retento; quem licebit pluribus foliis eundem, aut uni paginæ duplicem triplicemve &c. poſitis intervallis adſcribere; non eò minus vel indice juvandum, vel ſi eò non habeamus opus, repetitioni memoriali ſerviturum.

(7) *Miſcendo* prout opus ſit *ſpecies hactenus dictas*, v. gr. ſimul margine & chartis interjectis utendo, ſeu ſolutis, ſeu ligatis, ſeu utrisque. Imo hiſce adverſarium volumen ſuperaddendo, ſi placeat. Sic & ſpatiis diſſecti Auctoris non ſufficientibus, chartæ interjectæ aut adverſaria poterunt addi: &c.

§. 2. De COMMODITATE Commentariorum Excerptorum.

COMMODITAS GENERALIS omnium modo enumeratarum ſpecierum, in hoc genere excerpendi, ea eſt, quod ordinario ſemper *ſuperſedere* poterimus *labore titulos conſtituendi*, & ordinandi, ac inſcribendi ſeorſim, *ut & indicis conficiendi*.

Unde *commendatiſſimus habitus* eſt hic modus excerpendi *præcipuis* hujus doctrinæ *Auctoribus*. vid. *KECK. Manud. ad Phil. Pract. p. m. 6. n. 8. SCHEFF. c. XII. §. 6. p. 144. TITIUS §. 41. p. 392. STUBEL. c. 1. §. 14. p. 17.* Ibiq; laudati *POMARIUS & URSINUS.* Deniq; *BOSIUS de compar. Eloqu. civil. §. 34. & ſeqq.*

Speciatim liquet, tam *diverſis ſpeciebus diverſos eſſe* debere *commoditatis gradus*. Et vero comparatione facta, liquebit *poſteriores quasq; ſpecies prioribus eſſe præferendas.* Nam 1. *Schedæ* quidem *excident facile*, & licet numeris ſignatæ reponi tandem poſſint, *uſum* tamen ipſius *libri*, cui interponuntur, *facient incommodiorem.* Interim *ob expeditam facilitatem* ſuam *placuit* tamen *hic modus magnis Auctoribus*, uti videre eſt apud *TIT. l. cit. pag. 392.*

2. *Marginis uſus* ob incertum excerptorum, & ferè ſemper inæqualem molem, *incommodus*, & *agglutinatio* ipſa *operoſa, inconcinna* & *mole ſua librum aggravans* videtur.

3. *Ligatis chartis interjectis eadem incommoda* æque, ſi non magis aderunt, niſi quod operoſa minus ſit interjectio, quam agglutinatio.

4. *Diſ-*

4. *Diſſectio Auctoris, operoſa* quidem æque, & deficiente duplicato exemplari, vel altera parte ſaltim impreſſo, *interdum impoſſibilis, hoc præ prioribus habet commodi, quod in volumen leviter ligatum aut conſutum, poſſint illa fragmenta*, ſpatiis pro lubitu aſſignatis, *agglutinata*, *ſic compingi, ut*, ubicunque multa ſubnotari debere ſpes eſt, ſemper *integra folia poſſint interjici*, quando ſit opus. nempe ſic *diviſis ſpatiis*, ut fragmentis agglutinatis quibus additamenta pluſcula ſperantur, in eo folio, vel certe in illa pagina non ſuccedant alia. Adde quod *diſſectio* etiam *foliorum*, ſi forte adverſa pagina nihil adhuc receperit excerptorum, aut ſchedarum agglutinatarum, hic interjectioni ſuam ſæpenumero præſtare poſſit oportunitatem.

Unde illam feliciter aliquot annis *in typo meo Philoſophiæ moralis* uſurpavi.

5. *Adverſaria ratio commodiſſima eſt*, & reliquis omnibus etiam ſuccenturiari apta, & vel unico folio inchoanda, & ſenſim prout opus eſt, aucto volumine continuanda.

6. *Methodica ratio* deniq; *omnium* erit *præſtantiſſima:* ob homogeniorum excerptorum non diſſipatam unionem, & reliqua *ſect. prox. præcedente* dicta. 7. *Mixta* quod *ſimplicium* ſuorum *commoditatem*, & *incommoditatem participent*, ut alias, ita & hic, per ſe patet.

§. 3. PRÆCEPTA Commentaria Excerpta optime adornandi.

UT quam optime hoc genus excerptorum formetur, *habita potiſſima ratione poſteriorum* quarumque *ſimplicium ſpecierum*, ex modo enumeratis, ſequentia *præcepta* erunt *obſervanda.*

I. *Materiæ & Qualitatis* eidem diverſæ accidentis *reſpectu*: (1) *omnes omnis generis materiæ* propemodum æque *ſub hoc genus excerptorum cadunt*: adeo, ut tam *univerſalia* quam *ſingularia*, tam *realia*, quam *verbalia*, & quidem hæc tum *ſingula* ſeorſim, tum *omnia conjunctim* hac ratione poſſint enotari prout lubet, ac Auctor idoneus cui accomodentur, exſtat. (2) Imprimis autem ſi *ad interpretationem alicujus Auctoris* velimus aliqua colligere, *vix alia methodus conveniet.*

2. *Quantitatis reſpectu*, tam *pauca*, quam *multa* collecturis, aliquis hujus ſpeciei modus erit oportunus. Imprimis tamen *pauciora præſtabit alienæ methodo accommodare*, quum iisdem propriam conſtituere vix ſit operæ pretium. Interim nihilominus *poſteriores* imprimis *modos etiam copioſiſſimis quibusq; ſufficere poſſe patet.*

3. *Formæ internæ ſive ordinis reſpectu*, (1) Præcipue quidem *methodica* ſcripta pro baſi ſunt eligenda: ita ut totius ſcientiæ alicujus *optimum* quod extat electum *compendium*, *vel* potius elaboratum prolixe *corpus* ordinatiſſimum quodque, & uſu nobis frequentatum, atque memoriæ minimum locali, ut vocant, id eſt ad reperienda quæque materiarum genera ſufficienti mandatum eligatur, monente etiam *KECKERMAN. Conſilii de Locis Comm. c. 16. p. 6.* Id quod excerptis noſtris

noſtris deinde ſenſim auctum, extendatur, ut ita illius quæ præcipue nobis excolenda ſit propoſita ſcientiæ, in primis altioris, ut cum *Gellio* loquamur, vel facultatum ut nunc vulgo dicuntur ſuperiorum, unius, cui vitam dare maximâ ex parte ſolemus. v. gr: Theologiæ, Juris, aut Medicinæ ſyſtema, quantum per vitam integram nobis liceat, perfectum ex variorum ſcriptis aut diſſertationibus, neque non etiam propriis meditationibus noſtris, atque experientiis, & caſibus variis, obſervatis colligamus.

Secundario tamen etiam *alphabetica*, ac tandem *adverſaria* quoque aliena, deficientibus methodicis ſcriptis poterimus hoc modo augere. Ita *KECKERMANNUS* ſententias *ad Stobæum* colligere ſuaſit, minus tamen conſultè: cum longe locupletiores & ordinatiores exſtent ejus aagumenti recentiores. v. g. *Magirus*, *Langius* &c.

Circa quæ omnia etiam hoc ſpeciatim notandum: *fieri poſſe, ut Auctor aliquis nobis ita ſit familiaris factus, ut eodem inſtar indicis memoriâ comprehenſi poſſimus uti.* Quo caſu ſanè non incommodum, commentando ad eundem excerpere, quemadmodum de *Longolio, ad Plinii* hiſtoriam mundi omnem ſuam eruditionem congerente, in vita ipſius cum aliis â Bateſio nuper edita refertur pag. 140. & ſeqq. Quem celeberrimus *Salmaſius* videtur imitatus eſſe, de cnjus tamen opere vegrandi, exiliter admodum judicat *HARDUINUS in præfat.* Plinii ſui in uſum Delphini publicati: liberalius multo *MORHOFIUS Polyhiſt. l. 1. c. XXI. p. 241.* (2) *Eli-*

gendus Auctor non mutilus vel confuſus, ſed *quantum fieri poſſit maximè plenus & ordinatus*, inque partes diſtinctus. (3) Quod *ſi diſtinctio illa deſit, imprimis in ſubdiviſionibus, erit ea nobis ſupplenda.* v. gr. ſi quis ad *Roſinum*, Polydorum *Vergilium*, aut *Natalem Comitem*, ut ipſe olim tentaveram, v. *Epiſt. adj. n.* 24. excerpta collecturus, capita ſingula ſuis membris dividat modo imitatorio. §. II. n. 6. uſurpando. (4) *Unus* ſolus *Auctor in quoque genere* imprimis eligendus, *nec facile mutandus*, ne confuſio creetur. Inprimis ubi diutius uni aſſueverimus auctori: quo caſu, & ubi melior poſtea prodeat, non erit facile ſubſtituendus, ſed potius adjungendus, in iis quæ plenius ille diſtinctiusque habet. Nempe ne confuſioni, vel everſioni omnimodæ noſtrorum excerptorum detur anſa.

(5) *Exceptio* tamen facienda, *interpretationis aut examinis gratia* annotanti ad Auctorem aliquem. Quo caſu tot Auctores, quot examinandi aut interpretandi venient, erunt adhibendi. (6) *Remiſſio* etiam eorum annotandorum, *ad plura loca ejusdem Auctoris, vel diverſorum, ita* facienda, ut vel notabiliori, vel certe priori loco, ipſa excerpta accommodata, reliquis locis tantum allegentur (7) *Præcepta ſectionis præcedentis* membro ultimo numero *4, 5. 6 & 7timo omnino hic repetenda.*

4. *Formæ externæ reſpectu,* (1) In tanta varietate modorum, apparet etiam *formas externas differre* omnino debere: Ita *primis tribus modis* ipſa

forma

forma Auctoris: quarto modo major etiam, & *fere in folio: reliquis* vel *in quarto*, vel *in folio*, *pro excerpendorum mole*, forma fuerit conſtituenda. (2) *Interpretationis gratia vel examinis annotata, etiam diverſis Auctoribus, uno adverſario volumine commode poterunt comprehendi:* Sic, ut quilibet Auctor ſit loco tituli, alphabetico indici, aſſignatis pro lubitu paginis, inſerendus. 3. *Praeceptum ultimae §. Sect. prox. praecedentis quintum & ſextum* hic omnino *repetendum.*

SECTIO X.

DE

Scrinio litterato.

SIve peculiari quodam invento,
Ex ANONYMI manuſcripto,
per propriam, experientiam multis modis *emendato*,
Modum excerpendi ſingularem ac valde compendioſum, utilemque continente.

Membrum I.

OCCASIO ejus Scrinii, ex Manuſcripto de arca Studiorum anonymo, & præſtita circa illud nobis.

ORdinis Sectione I. delineati ratio nunc exigit, ut de ſcrinio literato dicamus. *Scrinium hoc inventionis meæ non eſt*, ſed illius notitia caſu

ad me delata, per *manuſcriptum* quod inter Viri, dum viveret, Clariſſimi, *Joh. Adolphi Taſſii*, Matheſeos in Gymnaſio noſtro Profeſſoris, manuſcripta, *penes Dominum* Avunculum meum, dum viveret Virum Ampliſſ. *VINCENTIUM GARMERS* J. U. D. Com. Pal. & Syndicum hujus Reip. tunc aſſervata, eadem qua reliqua manu exaratum, apparuit. An ipſius fuerit inventum hoc, multum ambigo: vel inde, quod cum §. 12. ſe quinquennio illud jam uſurpaviſſe commemoret, antequam cum aliis communicaret: neminem tamen ex ipſius diſcipulis (quorum facile princeps adhuc ſuperſtes, & in ea Profeſſione nunc ſucceſſor eſt, Cl. Collega meus *Henricus Siverus*,) aut amicis, depræhendere potui, qui unquam apud ipſum tale ſcriniũ vidiſſet, aut de invento ſimili quidquam ex ipſo inaudiviſſet. *Dignum* tamen *viſum* eſt opuſculum, quod *hic inſereretur*, quandoquidem editum eſſe hucusq;, typisq; excuſum, non videtur veroſimile: ut in *notis ad illius §. 9. & 21. ſive ultimam* pluribus probabitur. Sane *utilitas* etiam *hujus inventi* id merebatur, itidem inferius exponenda: & *aliis* quoque *ſubodorata*, *qui Bibliothecas* ſuas *ordine materiarum* in forulos *diſtinguentes*, *faſciculos excerptorum* cujusque argumenti *forulis*, *per loculos diviſis*, *interponere conſueverunt*. Qualem bibliothecæ diſpoſitionem memini vidiſſe *Fogelianam*, etiam *MORHOFIO Polyhiſt. l. 1. c. V. pag. 37.* memoratam, & ex Catalogo ſuo impreſſo melius cognoſcendam. Talis diſpoſitionis etiam, & hinc ſchedarum per forulos ſimiliter faciendæ ideam, aſſervo mihi relictam, ante annos aliquot, à Clariſſimo Polyhi-

Polyhiſtore, nunc Upſalienſium Profeſſore, & Collegii Antiquitatum Regii Aſſeſſore digniſſimo *Laurentio NORMANNO*, multis ex partibus *cum Bibliotheca Cæſarea Lambeciana Diſpoſitione*, congruentem, quam tamen ipſi nondum eo tempore viſam fuiſſe ſatis certis indiciis depræhendebam.

Q antum autem hæc faſciculorum per forulos diſpoſitio cedat inventioni nunc exponendæ, ipſa illius conſideratio demonſtrabit,

Addita vero ſunt à me huic deſcriptioni
Arcæ Studiorum:

1, *Diſtinctio paragraphorum*, & *argumenta* appoſita.

2. *Correctio* aliqua *mendarum*, ſenſum impedientium, quas tamen, aut *ſubduxi linea*, aut diſcriminis gratia [parentheſibus incluſi] inſuper à Typographo etiam diſcernenda, typi diverſitate.

3. *Subduxi* lineis ea interdum quæ *inſtar lemmatum* poſſint eſſe, adeoque typo alio (curſivo vulgo, ſeu currente, dicto) exprimenda,

4. *Annotata breviſſima* pauca, quæ vel declarationem vel emendationem, aut incrementum poſſint præſtare, hinc inde ſubjeci.

5. Auctori *deſiderata* § 9. *additamenta*, & *ulterior hujus inventi exornatio*, ad commoditatem ejus, ni fallor, haud parum afferens emolumenti, *membro tertio & ſequentibus proponentur*.

6: *Figuras* in multis emendavi, vel auxi, omiſſas partim in autographo, vel inepte ruditerque nimis delineatas.

Mem-

Membrum II.

MANUSCRIPTUM ipſum exhibitum
ANONYMI
cum figuris.

ARCA STUDIORUM
ſive
REPOSITORIUM.

Quo lecta, audita, meditata omnia expeditius diſponendi, promptiusq; [diſpoſitis] utendi, Modus proponitur.

§. I. CAUSSA ſcriptionis & FINIS.
v. cap. 1. §. 7.

In *ſtudiis* (*a*) *ornandis duo* potiſſimum deſiderantur. I. *Expeditio diſponendi*, 2. *promptitudo utendi.* Quæ ambo, cum nusquam ſatis commodè inventa, aut explicata adhuc mihi viderentur, opus & Studioſis gratum, & reipublicæ litterariæ commodum me facturum exiſtimavi, ſi & proprio boni publici deſiderio, & Doctorum quorundam ſuffragiis, precibus evicta modeſtia, illud tandem publici juris uſusque fieri permittam, quo privato adhuc nec pœnitendo per quinquennium expertus fretusque ſum invento.

(*a*) *Legendum potius putem* ordinandis. *Neq; mirandum, ſtatim in principio erratum, cum jam in ipſa inſcriptione vox à nobis additus* (diſpoſitis) *manifeſto exciderit.*

§. 2. Ex-

§. 2. Excerptorum NECESSITAS, & duplex modus, v. c, 1. §. 5.

QUum tanta ſit *rerum ſcitu dignarum copia*, eaque per infinita pene librorum volumina ſparſa, quorum multis mens humana (veritatis avidiſſima) quantum per virium, vitæque brevitatem poſſit, perlegendis incumbit, & improbo quodam labore, illud imprimis ſtudet, ut *confuſa*, & hinc inde *diſſeminata*, & librorum mole penè oppreſſa veritatis grana, ſibi in peculium quoddam, & uberrimum theſaurum, quanto poteſt compendio *colligat*, dirigatque [malim *digeratq;*]: Unde prout uſus vitæ, humana neceſſitas poſtulat, ſcribendi, dicendive materias idoneas, paratas & copioſas expromat. Cumque nemo uſpiam ſit, aut tam χαλκέντερος, ut propria ipſius induſtria libris omnibus evolvendis, aut etiam tam felicis memoriæ, ut rebus omnibus, notionibus, ſententiis, quas maxime velit retinendis, atque reminiſcendis ſufficiat: *Duplicem* (α) olim, & etiam nunc hodie in memoriæ ſubſidium *ſtudiorum digerendorum modum* propoſuerunt Viri literati, & alterutrum ſaltem (ſi tamen ullum) quisque pro genio judicioque ſuo ſecuti ſunt.

(α) *Plures excerpendi modos dedimus, qui omnes tamen præter hoſce duos ſi Auctoris tempore nondum fuerunt publicati, antiquior ſit oportet ille hoc ſeculo, quod vix credam.*

§. 3. Ex-

§. 3. PRIOR modus indicis ALPHABETICI Univerſalis per alium ſpecialiorem dirigendi, v. c. 7. §. 3.

PRimum eſt per rerum *Titulos*, *ſive capita* primaria, maximeque communia, in unum aliquod plurimaque volumina locis ſuis *ordine Alphabetico diſpoſita*, ſpatiisque vacuis pro concepta Capitis cujusq; Amplitudine relictis, quæ notiones omnes lectas, auditas, aut excogitatas, ad illud pertinentes, in unum excipiant; *addito* inſuper *ad Calcem verborum Indice*, qui, tota quidque pagina inveniatur, oſtendat: idque propter ſynonymorum, ſubtitulorum irregularitatem, quæ cum ad primarium aliquod caput propriè ſpectent, ibique referantur, alium tamen in Indice locum obtinent propter litterarum nominumque diverſitatem.

§. 4. Ejus INCOMMODA in (1) excerpendo (2) reperiendo, (3) Communicando, v. c. 2. §. 3.

NOn paucis autem modicis. [que,] *incommodis* hæc ſtudiorum digerendorum via urgeri mihi videtur.

Primo (1) enim *temporis* non leve eſt *diſpendium*, lectionis verò & meditationis graviſſima *interruptio*. Cum in legendo quovis autore, quoties quippiam occurrat, quod reponi dignum videatur, toties ad indicem primò currendum, ubi Titulum paginæque nume-

numerum invenias, deinde ad paginam ipſam vertendam, ubi majuſculis litteris (uti ſolet) titulus quæſitus præfigitur, inibique quod notari velis ſcribendum. Hic autem quolibet pene momento alia nomina, paginasque alias quærendi, vertendi, revertendique labor, quantum moleſtiæ, tædiique, animo in lectionem intento, & feſtinanti creet, expertus ſatis percipies, ſi vel unica ſeptimana, in quovis auctore rerum varietate ac pondere, elegantiaque referto, ad hunc modum diſponendo verſabere.

(2) Dici non poteſt quantum & legentis *judicium interturbet*, & *memoriam confundat*, & *induſtriam frangat*, hæc tam varia titulorum paginarumque quæſitio: quæ non raro & oculos inveniendis titulis, & digitos ſeparandis paginis, in tantum ludat, fatigetque, ut plus temporis inveniendo loco, quam aut materiam ipſam legendo, aut etiam ſcribendo impendere (ultra omnes planè patientiæ limites) cogaris.

(3) Addo etiam *quæcunque extra proprium muſèum* chartis *annotaſti* (quod ſæpe fit) *reſcribere* omnia, propriisque locis denuo, recondere neceſſe eſt. Cum volumen iſtud pandectarum, nec tecum portare, nec ad manum ſemper habere poſſis. Nemo autem tam ferreus eſt, qui hanc reſcribendi nauſeam & improbitatem ſuſtinere queat.

§. 5. POSTERIOR modus ordinis ADVERSARII per Indicem digerendi, c. 2. §. 2.

Alii

ALii igitur, ut prioris hujus modi viæque incommodis mederi poſſint, aliam invenerunt, qua quidquid legendo, aut meditando, aut diſcurrendo notatu dignum uſpiam ocurrat, id omne in libello portabili aliquo, per *adverſaria*, & miſcellanea, continuatâ ſerie perſcribant, donec librum penitus compleverint: Appoſitis tamen ad marginem ſingularum materiarum capitibus quibus ad invicem diſtinguantur, quæque in *indice* aliquo, aut particulari, & ſingulis libellis, aut communi, & omnibus inſervienti, ordine *Alphabetico*, una cum paginarum, quibus quælibet notio continetur, numeris diſtinguantur.

§. 6. Ejus INCOMMODA in (1) reperiendo (2) communicando c. 2. §. 2.

ET hæc quidem diſponendi ratio, quantum priorem *in ſcribendi celeritate exſuperat*, tantum in *utendo graviorem moleſtiam contrahit*. Eſto enim, in uno pluribusque libellis, rerum varietate continua refertis, multa de uno aliquo capite generali (puta de Sapientia Dei) diverſis in paginis annotentur, quod tibi ſatis ex Indice apparet, ubi 20. 30. 50. aut etiam plures multo diverſarum paginarum numeros, ad titulum iſtum appoſitos vides, quorũ ſingulos, quoties notionibus iſtis uti velis, ſcrutari neceſſe erit, quæ in rem tuam idonea videntur, denuo tranſcribenda ſunt, ut omnia ſimul in Charta aliqua contemplari poſſis, inquè ordinem reducere.

At quanta (obſecro) & temporis jacturâ, & diſſi-

patas

patas haſce notiones, per centenas ſorte paginas inveniendi, moxque tranſcribendi moleſtia opprimeris? Quoties 6. aut 10. aut etiam plura non raro generaliora capita, [&] ad ſingula iſtorum 20. aut 30. aut plures forte paginæ perquirendæ ſint, priusquam materias operi propoſito idoneas comparare poſſis. Ego certè (ut ingenuè fatear) immani huic induſtriæ, & operoſæ nimis patientiæ, præ ingenito quodam animi ardore, & vehementia, ſatis eſſe non poſſum; quin ſtatim, ab incepto penè opere vel ſcribendi in priore modo, vel in uſum conquirendi in poſteriore, hiante quodam tædio afficiatur animus, ſpiritusq; langueſcat, & hebetetur prius acumen, quam ad res ipſas dijudicandas methodoque componendas perveniri poſſit.

Addo etiam *aliud* non leve *incommodum*, quo utraque prædicta pandectarum ratio in *communi* urgetur, hoc eſt, *communicandi difficultas*. Quoties enim abſens aliquis amicus abs te oret, ut, quas in tale aliquod ſubjectum notiones obſervaſti, ſecum communicare velis, at libros ipſos transmittere, quibus ſine gravi incommodo toties carere non poſſis, nec ſine periculo aliquo Studiorum, neutrum plane, aut poſtulare, aut expectare ingenuus velit.

§. 7. Aliis incommodis pleroſq; deterreri, aut mox fatigari.

Harum tamen rationum, ſive modorum, unam aliquam nemo fere ſtudioſorum ſibi non proponit, plurimi verò ſecundam, quæ minus

 qui-

quidem moleſta primo aſpectu videtur: at *pauci* re vera ſunt, qui *utrilibet aliquandiu inſudarunt*, qui aut *magnos fructus protulerunt*, aut ubi Juventutis vigor deferbuit, *non plane deſponderunt animum* feſſum, victumque tam pertinaci labore: eundemque, cum ad judicii maturioris culmen perventum, quod rebus ipſis intentum, variisque negotiis occupatum, παρέργῳ iſto referendi, requirendique labori vacare non poſſint, indeque ſe totos rerum ponderibus potius dederunt, deq; rebus judicium ſuum, aut alienum, generali tantum memoriæ commiſerunt. Niſi forte paucas, majorisque momenti obſervationes, & generalia librorum ſubjecta, in locos communes retulerint, neglectis interim infinitis penè notionum gemmis, quæ inter legendum occurrant, quæ mirum in modum & rebus explicandis, & ornandis inſerviant, ſi ad propria ſua ſubjecta, capitaque ſingula partiri, & recondi, æqua aliqua, & toleranda ſedulitate poſſint, cumque opus fuerit, nullo, aut quam levi & jucundo negotio in uſum expromantur.

§. 8. Auctor fatigatus, quomodò ad novum modum excerpendi pervenerit.

Ego certe iſtorum modorum moleſtiam aliquando expertus, tandemque *fractus*, *ambos negligere ſtatui*, *continuato* tamen auctores perlegendi, & ex iis notatu digna *excerpendi*, chartisque ad æqualem menſuram complicatis, promiscuè inſcribendi *labore ſtudioq;*. Fruſtra enim memoriæ (haud ſane beatæ nimis) omnia una lectione commiſiſſem.

Spe-

Sperabam potius [fore,] ut quæ chartis ita annotarem, crebra lectione poſtea animo altius imprimerem: unde ſi non omnes, ſaltem bonam partem præſtantiſſimarum notionum ediſcerem, fideliterq́; retinerem.

At paucis hac ſtudiorum ſedulitate conſumptis annis, nimia jam moleſtiarum copia laborabam, ipſæq́; conſcriptæ chartæ ad juſtum planè volumen tumeſcebant, quibus rurſum perlegendis, multi jam dies non ſufficerent.

Confuſa interim omnia, vaſtoque in gurgite natantia, tanquam in Chao illo Ovidiano, diverſa diſperſaque rerum ſemina vidi, mentemque re vera aliquam diviniorem, quæ res ſingulas in ſuas claſſes ordinesque diſponere poſſit, exſpectantia. Vehemẽter interea animi & ſtudiorum acies retundebatur, cum tantos legendi, ſcribendique conatus, maxima ex parte caſſos vidi, & inutiles. Quamvis enim aliquid, quod ajunt, hærebat, & generale quiddam de rebus judicium nonnihil indies promovebat: at quamplurimi non minus utiles quam elegantes ſcriptorum conceptus, plane animo vaneſcebant, aliqui forſan dubio aliquo & tenebricoſo lumine memoriæ non rarò objecti, illudebant potius, quam illuſtrabant, cum propoſito quidem peridonei videbantur, nec tamen planè concipi, nec diſtinctè prompteque inveniri poterant.

Neceſſitate ergo & impatientia quadam ſtimulatus animus, de novo aliquo & faciliori modo cogitare cæpit: ſi quis forte excogitari poſſit, qui ex votis impoſterum reſpondeat, tam ſcribendi quam utendi promptitudine, & prioris vitæ ſtudiorum jacturam

compenſare ac reparare poſſit. Varii exinde ſeſe præſentabant modi, at quibus primô pene intuitu obſiſtebat ratio. Tandem divino aliquo jubare, quod gratiſſime agnoſco, benigno colluſtratus animus, novam hanc viam, nec, quod ſciam, adhuc uſitatam, lecta, audita, cogitata, quæ velim omnia, maximo tum ſcribendi, tum utendi compendio, diſtinctius, promptius, jucundius & in uſum privatum aut publicum accommodatius inveniendo, comparavi.

§. 9. Ejus publicandi conſilium & Ordo.

HOc autem qualecunque *inventum Studioſorum emolumento* non invideo, divinius certe futurum, quo communius, modo bonum utileque eſſe conſtet. Illud autem *litteratorum Cenſuræ & Candori* breviſſima claritate mox *exhibere ſtatui*, ut, ſi forte probatu dignum videatur, de ſuo quisque acumine aliquid addendo, ipſum ornare non dedignetur, ſin minus, novum aliquod exquirendo, cudendoque, quisque animum intendat. (*a*) Illud enim certiſſimum eſt, maximo planè bonarum litterarum tædio & detrimento fieri, quod hac in parte legentium ſcribentiumque induſtriæ nondum melius exactiusque conſultum fuerit.

Ut rem igitur ipſam aggrediar.

1. De *ſcribendi*,
2. *digerendi*,
3. *utendiq́ modo* paucis diſſeram.

(*a*) *Et* publicatio, *quod ſciam*, facta non eſt *unquam. Neq; veroſimile ſit, deſcriptionem impreſſi non*

magna

magnæ molis libelli, aut aſſervationem deſcripti, tam ſtudioſe factam Taſſio, & quidem citra mentionem impreſſionis ullam.

§. 10. Scribendi modus.

1. AD *ſcribendum chartas* paro ad 8. complicatas, aut ſingulis *ſchedis*, vel *libellis, ejusdem plicaturæ leviter conſutis*: fruſtra enim accuratiorem artem in chartis compaginandis impendis, cum mox, ut dicturus ſum, in minutas portiunculas diſſecandæ ſint. Chartas iſtas libellosve, *ſemper ad manum* habeo, ſive in proprio cubiculo, ſive in bibliotheca aliqua publica, ſive alio quovis in loco, aut legendo, aut meditando, aut colloquendo quidpiam, occurrat, quod notatu dignum cenſeo. Illud quam primum commode poſſim, chartis inſcribo, præfixo ſemper ſubjecti, capitisve generalis nomine, ad quod propriè ſpectare, id quod ſcripturus ſum, videtur.

IMPUNITAS. Terribile Dei judicium, ubi flagitia ſequitur impunitas. Experta voluptas libenter repetitur, repetita blanditur, ſopitur ratio, ligat conſvetudo, tacitisque catenis trahitur miſer in malorum profundum. *Bernh.* de humilitate.

VESTITUS. Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori. Exterior ſuperfluitas interioris inanitatis judicium, mollia indumenta mollitiem animi indicant.

Non tantum curaretur corporis cultus, niſi prius neglecta fuiſſet mens inculta Virtutibus. *Bernh.* Apol.

AFFLICTIO. O Servum illum beatum cujus emendationi Dominus inſtat, *Tertul.* de patient. non minor eſt Dei indulgentia, ubi dignatur iraſci.

Quod ſi quidpiam occurrat, ut ſæpe fit, *quod* proprie ad unum aliquem locum titulumve ſpectat, eleganter tamen *ad alios etiam locos reduci* transferrique *poteſt*, ne toties tranſcribere cogaris, niſi breviuscula ſit notio, quod ad locos commode referri poſſit, ſatis erit ſi *ad principalem locum integram perſcribas ſententiam*, materiamve, *adjecta* inſuper ad chartam iſtam *nota* aliqua, *ut A. N.* 3. 7. 8. *qua* omnibus *aliis chartulis iſti titulo appenſis* hæc *dignoſcatur*, & alteri *reſpondeat charta*, *cui titulum ſolum cum nota iſta communi inſcribere ſatis erit* e. gr.

SATIETAS. ad Imaginem Dei facta anima rationalis cœteris omnibus occupari poteſt, repleri non poteſt. Capacem Dei, quidquid Deus non eſt, non implebit. Vidi (inquit *Bernh.*) 5. homines vaniſſimo labore ſaturitatem quærentes, 1. buccis tumentibus pulverem maſticabat (id eſt AVARUS) 2. de ſulphureo lacu teterrimum hauriebat vaporem (i. e. LIBIDINOSUS) 3. fornacis ardentis favillas hiantibus faucibus excepit (vindictæ CUPIDUS) 4. aperto

perto ore ventum attrahebat, & flabello excitabat (i. e. AMBITIOSUS.) 5 Ridebat cœteros, ipſe vel maxime ridendus (i. e. SUPERBUS) & quod ipſe omnia contemnebat. *Bern.* decla.

DESIDERIA HOMINUM VANA quæ impleri neſciunt vide SATIETAS.

Has autem Notiones, Sententias, & accurata (l. *acuta*) dicta, ſive breviora, ſive prolixiora; continuata ſerie (niſi quod lineolam levi calamo interductam ad diſtinguendum vides) *in una tantum paginæ parte ſcribo*; niſi forte *productior* ſit *materia*, *quæ unciæ*, *unius* aut circiter *menſuram* in ſcribendo *excedat*. Tum enim *dimidiatam in* una & quidem *anteriore* parte ſcribo, deinde (ungue facta lineola) *in oppoſita* verſæ paginæ parte & quaſi à tergo *reliquam* conſcribo. Idem etiam fit, ſi quid forte ejusdem argumenti poſtea occurrat, quod nuper in una tantum parte conſignaſti, in alteram ejusdem ſententiunculæ partem adverſam facile adſcribes. *Chartularum autem ſingularum latitudo*, *unius unciæ* menſuram ordinaria non excedat, quod *ſi ulterius* eadem *protrahatur materia*, aut *nova* ejusdem tituli *charta* incipienda eſt complendaque, *aut priorem* ultra juſtam menſuram excreſcentem *complicare*, *& complicatam* (ut mox oſtendam) potes diſponere. Prolixos verò & de uno aliquo ſubjecto compoſitos diſcurſus, aut *tractatus integros nusquam tranſcribo*, vel enim nervos medullamque breviter exigo, vel generale tantum ſubjectum

annoto, ubi à Docto aliquo & egregio auctore accurate elaboratum video. Excerptis tamen ſi quæ heterogenea illuſtrandi gratia permiſcentur, ſuosque ad locos proprios reductis; v. g. De Angelorum Cuſtodia *vid. Chryſoſt. 5. c. 34. pag. 18. 96.* De Arbore Scientiæ & Vitæ, *vid. Auguſt. Eleutherii Tract. 16.* De Sybillis *vid. Boiſardum Montacut: in apparatu Lactant. Juſtin. &c.* Hæc autem quanta poſſum ſcribo celeritate, nulla, aut titulos in quovis indice, aut paginas vertendi, revertendique moleſtia, interrupta lectione aut meditatione, aut ſcriptione.

§. II. Ejus præ prioribus præſtantia, & quomodo ad poſteriorem ex iis poſſet revocari.

UBi verò ſcribendi ſedulitate, chartas benè multas, aut libellos hujusmodi notionibus refertos, per menſem forte unum, aut plures, aut integrum annum comparaſti, & *copia* jam *laborare incipis*, quoniam *confuſa* adhuc, invicemque mixta ſunt omnia, prout in ſecundo diſpoſitionis antiquo modo videmus, eandem moleſtiam, uſurus ſuſtinere cogeris, propter quam iſtum repudiavimus modum.

Cum tamen hucusque (ut vides) probatiorem iſtum & doctis uſitatiorem referendi modum, noſter non exæquet ſaltem, imo velocitate longè exuperet. Cum quidlibet in indice, etiam figuris notare non requiratur, ſic ut ſcribendi compendium ſatis, ut opinor [ſit] demonſtratum: quo compendioſius cogitari fingive

give non poteſt. Nihil enim impedit quo minus Steganographice ſi poſſis pro arbitratu ſcribas, ſi privato tantum uſui conſulas. Quod ſi ulterius in hoc noſtro invento nunquam progrediaris, & inſtrumentum de quo mox dicturus ſum, aut non cito, aut non omninò parare queas, aut forte nolis. Nullatenus tamen operam tuam oleumque in rebus colligendis hucusque in hac, quam oſtendi, via ſumtum perdes, cum *adjectis* tantum *ad libellos indicibus*, *uſitatam* illam & altera commodiorem, ut habetur, *viam adhuc teneas*, in eaque, ſi mecum plus ultra procedere pigeret, inſiſtas. Si quo tamen ſententiam tuam modo mutare, aut potius perficere liceat, illud nullo penitus detrimento facere poſſis, & certe facturum eſſe tandem nullus dubito, cum & copia rerum onuſtus, utendi moleſtia oppreſſus, defectus tuos experientiâ edocebere.

§. 12. DIGERENDI MODUS: Ad eum pertinens ARCA, EJUSQUE PARTES.

2. SEcundo igitur in loco, confuſam hanc notionum ſive materiarum (lineolis diſtinctarum) varietatem, etiam locabiliter ſeparandi, propriis ſedibus *digerendi*, homogenia congregando, & heterogenia diſgregando, *modum oſtendam*.

Hoc ut fieri poſſit, primo de *Arca* ſeu *repoſitorii fabrica* dicam, quale propoſito huic noſtro, aptiſſimum inſtrumentum adinveni, & mox artificis ope affabre factum comparavi, cujus integram *Effigiem*,

ut melius de compoſitione intelligas, exprimendam curavi *apertam* (*dimidiâ ſui parte, dimidiâ clauſam. TAB. II.* ſchedis adhuc appendendis.)

Hujus Arcæ ſeu Repoſitorii *intentio* hæc eſt, *ut locorum* omnium *communium vocabula principalia* pulcherrimè ſcripta (aut quod optandum eſſet, commode impreſſa) *Alphabetico ordine* contineat, primoque *aſpectui præſentet*, *ad quæ* ſingula *chartarum* ſcriptarum lemmata ſive *ſectiunculæ*, promptiſſima manu *appendendæ* ſunt, indeque, quoties uſus poſtulat, ſimul deſumendæ.

Hoc *ut commode fiat*, parandæ ſunt ab artifice *Orichalci ſchedæ*, i. e. ferri tenuiſſimæ *laminæ, ſtanno albo illitæ*; quales ubique proſtant (weiß Blãch) & ex quibus levia iſta vaſcula in uſum communem vulgo efformantur.


Laminæ iſtæ ſimplices, ut vocant, & leviores, ſunt enim diverſi ponderis, latæ, planæ & quadratæ, circino lineisque rectis ad æquales partes diviſæ, forcipibus diſſocandæ ſunt *ad unciæ* unius *latitudinem* [l. longitudinem] *ad unciæ unius & dimidiatæ latitudinem.*

Harum particularum numerus capitum ſ. locorum communium, quæ pro ſtudiorum ratione, plura vel pauciora habere deſideras, numerum æquare debet, ut *ſingulis* portiunculis *titulus peculiaris affigatur.*

Priusquam igitur *de illarum numero* ſtatuas, colligenda ſunt in Indicem vocabula ſive locorum communium capita, quemadmodum ipſe non exiguo certe labore feci, adjectis etiam in libro ſeu nomencla-

tura,

TAB. II.



tora, & quaſi ſubordinatis Synonymis, minusque uſitatis titulis, ad proprios, & uſitatos.

Illa autem nomenclatura plena perfectaque ſemel quantum fieri poteſt eſſe debet, pro ſtudiorum ratione, ſcilicet in quibus verſaris. Ego certe *Titulos* ſive locos *Theologicos omnes, morales omnes, naturales & Civiles pleroſq́;* collegi, ita ut 3000. ad minimum ſcripti, & laminis iſtis parvulis affixi ſint, relictis inſuper albis, ſive *Vacuis* 300. paſſim inter ſcriptores hic illicque, ſeminales, in quibus ſi forte novus aliquis, quod fit, occurrat titulus, inſcribatur, ſuoque ordini, aliisque locum cedentibus, inſeratur. Diſſectis ergo his laminarum particulis, quot in uſum tuum pro titulorum numero ſatis ſunt; *Aciculi longiuſculi firmi*, & *acuti*, quales vulgo mulierculis in uſu ſunt, (Knöpfnadeln, *quantum ad perforandas chartas, non ad vulnerandos incautos.*) parandi ſunt, & *præciſis capitibus*, poſtea illorum *extremitates obtuſæ incurvandæ* ſunt, quo immobiliores fiant, laminis junctæ.

Nam *laminis ſingulis unus* eſt *apponendus Aciculus*, *malleiq́; ictibus ad planitiem Laminæ depreſſus*, poſtea *ferrumine*, quod Vitriarii ad feneſtrarum juncturas compaginandas habent, *affigendus*.

His ita firmiter *unitis* peractisque *laminis*, & ad unam oram *aciculis in modum caudæ extenſis*,

Bacilli inſuper *lignei, parvi, leves, teretes*, probeque *ſiccati, æquales omnes, exactæ*, quantum poteſt fieri, *menſuræ*, circiter *quartam unciæ partem craſſi, dimidiatæ lati*, pro areæ menſura longi [*capiantur.*]

Bacillis hiſce *appendendæ* ſunt *laminæ* iſtæ aciculatæ,


culatæ, *flexis* nimirum *laminis in quadratam formam parte* iſta *quæ aciculo caret*, ſuper ferreum aliquem modulum, ſive formam, ad bacillorum craſſitiem formatum, menſæque immotè affixum: ſicut laminæ bacillis apponi aut amoveri poſſint.

Pars q; iſta *laminarum brevior poſterior*, & quaſi à tergo, levi manu *in extrema ora recurvanda* eſt, ut bacillis ſine hæſitatione, facile imponi, & quaſi illabi poſſint, aut etiam detrahi.

His ita comparatis *laminis aciculatis*, ſuisque bacillis oppoſitis, oleum de lini ſemine gummi temperandum, & igne vehementi ad binas horas concoquendum, donec probe commiſceantur, oleoque iſto jam refrigerato, leviter injungendæ ſunt laminæ omnes, parte anteriore tantum, & in aprico ponendæ, donec penitus deſiccetur oleum. Hoc autem fit, ut *mediante* hac olei flavâ *tincturâ chartulæ*, quibus tituli inſcribendi ſunt, laminis adhærere & *agglutinari* poſſint. Oleo enim jam deſiccato, parandæ ſunt chartæ minutæ, *quadratæ anteriori laminarum latitudine æquales*, quæ (uti dixi) laminis ſingulis glutine quovis affigendæ ſunt. *Siccatis chartis, tituli ordine alphabeticô* pulcherrimè *inſcribendi* ſunt, ut primo intuitu clare percipi, legiq; poſſint. (*vid. TAB. III. Fig*, 1.)

Inſcriptis hunc in modum titulis, ultimum eſt *aciculorum* flexio ſive *incurvatio in angulos*, ſic ut chartas, quibus notiones vel ſententiæ inſcribuntur, iſtis recipiant, retineantq;. (*Vide TAB. III.* FIG. 2. *quâ exhibetur* ASPECTUS LAMINÆ à TERGO. FIG. 2. à FRON-

TAB. III.



à FRONTE, FIG. 4. vero *exhibetur utcunq; ASPE-CTUS LAMINÆ ACICULATÆ à LATERE.*

Reſtat dein *bacillos* iſtos *laminis onuſtos*, titulis inſcriptis, aciculisq; flexis *in arcam idoneam* & capacem, quantum fieri poteſt, compendio *collocare* & imponere.

Arcæ iſtius formam externam ſupra oſtendi, quæ *utrinq; valvis*, ut vides, aperturæ æqualibus, *primaq; apertione dimidiatum titulorum numerum* aſpicienti una facie *præſentat*. Valvæ iſtæ primo bacillis ornandæ ſunt, quod ut fiat, *bacilli* iſti, quot valvarum una capere debet, *in craticulæ formam* per extremitates ſuas *transverſim* poſiti, *duobus* majoribus *baculis apponendi* ſunt, *politis* quidem *longis, quadratis, in rectos angulos appoſitis*, & *à tergo in ſpatia æqualia diviſis, modiceq; exciſis*, ſic ut bacillorum extremitates utrinq; immitti ac firmari poſſint.

Duorum autem iſtorum *baculorum latitudo* pro acicularum recurvatarum ratione tanta eſſe debet, ut unius craticulæ aciculæ, clauſa machina, alterius implicare non poſſit. Obſervata etiam transverſorum baculorum ab invicem *diſtantia 2. unciarum & dimidia* (imo ſeſquiunciæ, ut ſpatio parcatur) quanta ſcilicet ſatis erit ad chartularum aciculis appenſarum caudas, retro digitis tundendas: alias enim inferiorum bacillorum tituli chartularum longitudine penitus obtegentur.

Super baculos iſtos geminos erectosque, qui bacillos transverſos laminis onuſtos, per extremitates tenent, *chartulæ longæ pro baculorum ratione agglutinanda*

nandæ ſunt, quibus primæ titulorum litteræ majuſculis characteribus inſcribantur. (vid. TAB. III. Fig. 5.

Binæ hæc *Craticulæ* ſic compactæ, *valvis anne-ctendæ* ſunt, *non* quidem *immediate contingendo*, ſed *per pegmenta tria ad utrumq; latus perforatum impo-ſita*, quæ craticulas *duabus unciis à valvarum ſuperficie* diſtantes teneant. Iſtud ſpatium [*enim*] relinquendum eſt, ad chartulas retrotrudas continendas.

Valvis ſic primo compoſitis, craticulisq; ſuis ornatis, *ad eundem* plane *modum reliquæ* componendæ ſunt *craticulæ*, fabricæque toti applicandæ.

Illud autem *obſervandum in exteriore* iſta *Arcæ forma* initio propoſitâ, *quod valvæ iſtæ* primò aperiendæ, ita cardinibus Machinæ affiguntur, ut *in apertione tertiam penè latitudinis partem* de Arcæ extremitate ſecum aufferant & *aperiant*, ſic *ut locum dare poſſint, geminæ alii fabricæ interius collocandæ*, quarum ſingulæ, ex duabus craticulis ſimul, per pegmenta, ad 2. unciarum & dimidii diſtantiam junctis, & per cardines eleganter arcæ extremitati, quæ apertis primo valvis patet, annexis, ſecundo in loco aperiri poſſint.

In hoc enim *Artificii* hujus (ſive arcæ) *compendium* conſtat, *unde tantum titulorum numerum, tam parvo ſpatio contineat*, & *duabus* tantum *apertionibus*, plane *omnes oculis proponat*. Apertis enim ad Valvarum modum, duplicatis hiſce craticulis, poſtremo, duæ reliquæ Craticulæ (eadem qua priores arte concinnatæ) immobiles collocandæ ſunt, ſervata tamen 2. unciarum à tergo diſtantia ad chartulas (uti diximus) retrudendas.

Inte-

Interiori ergo hujus Machinæ fabrica hunc in modum deſcripta: *exterioris facilis* eſt *ratio*. A fabro enim aliquo Lignario parvo, ſimplicique opere componenda, prius tamen menſuræ, & proportiones omnes exactè animo perpendendæ ſunt, quæ pro Titulorum numero minores, majoresve erunt, quasque pro lubitu ſuo, ingenioſus quisq; animo concipiet [ac] artifici, aut verbis, aut ſchemate aliquo depictas ſatis clare proponet.

De componenda Arcæ hujus ſive Repoſitorii Fabrica tum interna laminarum & Craticularum, tum externa capſulæ dictum.

§. 13. Impenſæ non fugiendæ nec difficultas.

Hujus autem *moleſtia* ſeu *difficultas* neminem terrere debet, cum *non magno*, pro utilitatis ratione, *pretio* paranda ſit, ab artifice, qui meam primò, deinde alias quoque compoſuit uſuique adaptavit.

§. 14. Titulorum & chartularum ordinatio.

Compoſita jam Arca, & ad murum firmiter annulis appenſa, vel fulcro ſtabili ſuſtentata, ſic ut facile oculis manuque tam ſupremos quam infimos titulos poſſis comprehendere: tandem *chartulæ iſtæ, quibus ſententias & res notatu dignas* inſcripſiſti,

per

per lineolas calamo currenti ductas, cultro acuto ſupra tabulam ligneam *diſſecandæ* & ab invicem ſeparandæ ſunt. Diſſectas verò manuque ſiniſtra præhenſas, altera manu *omnes eadem littera incipientes*, puta A. aut B. aut C. in loca diſtribuas, ſimulque colloces, poſtea chartulas omnes (A.) incipientes ſimul præhenſas, *lecto* tantum *titulo*, *ad locum ſuum*, titulum nempe eundem, ni *Arcæ Alphabeticæ laminis inſcriptum*, *acicula perforatas appendas*, digitoq́; appenſas, *per bacillorum intervalla retrudas*, ne inferiores proximi bacilli titulos caudis ſuis obnubilent.

Hoc autem chartulas ſecandi, ſeparandi, locisque ſuis diſponendi negotium à quovis ſervo, qui vel titulos legere poſſit, at fido & diligenti oculo manuque, peragi poteſt: ut ex hoc opere ſtudioſus levari poſſit, quamvis levi certe, paucis enim horis quantum per menſes aliquot ſcribendo colligere poſſit, citiſſimè hunc in modum, niſi plane ineptus ſit, & ἀμεχανικὸς digeri & diſponi poſſunt.

§. 15. Uſus privatus in evolvendis & ordinandis collectis.

CHartulis hunc in modum digeſtis, ſingulisque ad proprium ſuum ſubjectum ſimul diſtributis, *uſus* jam *privatus aut publicus*, quem poſtremo in loco demonſtrandum propoſui, ſatis cuipiam ſponte innoteſcet.

Ecce enim quam artificioſum mox habiturus eſt theſaurum, rerum omnium copia refertum, ordinatum

natum etiam, inque uſum tuum aut alienum paratiſſimum.

Inibi enim *quidquid* unquam de quovis ſubjecto unquam *annotaſti*, *primo intuitu* ſimul *invenies*, ſi in 10. aut 20. aut plures fortè locos communes dicere aut ſcribere pares, Chartulas enim de quolibet Subjecto, unà cum lamina cui appenduntur, præhenſas tecum *auferas*, & juxta in muſeò ponas, quidque in quavis chartula annotaſti, facilè *pervolvas*, ubi & auctoris nomen, libri capitisq; numerum, ex quo quidpiam excerpſiſti, prout olim obſervaſti, invenies, materiasque illas, qua velis methodo in uſum componas. Vix credas, niſi expertus, quanta voluptate atq; utilitate hoc facias, maxime ubi copiam aliquam, paucorum annorum ſedulitate collegiſti.

§. 16. Uſus publicus, in communicandis collectis, & ſocianda collectione.

NEque privato tantum *uſui*, ſed & *publico Amicorum* optime inſerviet. Facile enim præſens aliquis Amicus Theſaurum ipſum conſulere, & propoſito ſuo idoneas materias, per titulos invenire poſſit. Sin verò abſens fuerit, & per litteras oret, ut quas *tu Titulis* Tuis notiones obſervaſti, ſecum ad tempus communicare velis, nulla planè aut res inveniendi, aut tranſcribendi morâ, vel moleſtiâ, quas habes chartulas laminis ſuis appenſas, una transmittere poſſis, remiſſasque ſpatiis ſuis, quæ in bacillis vacua videbis, reponere.

Quodſi *conjunctis ſtudiis* huic Theſauro locupletando, ſex pluresque Studioſi, in Collegio aliquo, aut litterarum *ſocietate* velint incumbere, & tales quisque Auctores perlegendos & *ſpoliandos* (a) ſibi ſumat, qui omnes illi, de ſingulis libris, ex quibus ſubjectum exſcripſerunt, alius aliquis hunc in modum continuo diſponat: quam ingenti obſecro copia, vel paucis annis inſtructum erit commune hoc repoſitorium, ſic ut ſinguli reliquorum omnium opera ſtudiis[que] utantur & fruantur. Quicunque enim per tot tantaque librorum volumina, ſparſi diſſeminati conceptus, de quovis ſubjecto occurrant, omnes ſimul inſpici ab omnibus poſſint: opinionum item conſenſum, & Teſtimoniorum fidem, penè momento examinare, & conferre.

(a) *Hic* ſenſum *neq;* vocis *hujus*, neque *proximè ſequentis* conſtructionis *ullum*, *qui ſufficiat mihi*, capio. Textum *proin* corruptum *eſſe omnino ſum certus*. Senſum *ita* divino: *ut plures ſociatim ſtudentes, vel dividant libros, vel argumenta excerpenda, & conſervent excerpta in commune: uno eorum diſpoſituro, quæ collegerint omnes.*

§. 17. Cautela 1. de copia collectorum ad eundem titulum.

Cum autem chartularum uni laminæ appenſarum multitudine *aciculus jam plenus* eſt, ita ut plures capere non poſſit, *Chartulæ* omnes ab aci-

aciculo abductæ, *filo* aliquo brevi *per foramina acu ducto connodandæ* ſunt, filumque ipſum chartulis onuſtum, aciculo jam nudo appendendum, unde aliarum, quot prius chartularum capax, quoniam vacuus, reddatur.

§. 18. Cautela 2. de Communibus titulorum multorum uni miſcellaneo dicandis.

SI quæ tamen *generaliter dicta* occurrant, quæ nullo proprie titulo referri poſſunt, ut ſunt non paucæ cereæ cujusdam naturæ Sententiæ, cuivis penè propoſito applicandæ, hæc omnia *ad miſcellaneorum titulum referenda* ſunt.

§. 19. Cautela 3. de publicanda tali Arca.

TAlem autem Arcam, ſeu *Repoſitorium publicum* & commune, ſua ſi vellent magnitudine Studioſi fabricari, curare poſſent, ut & *laxiora ſpatia*, plures, longiores & *largiores chartas* ſi opus ſit *continere poſſit*.

§. 20. Cautela 4. de multiplicanda tali Arca.

IMo verò & *ad quamlibet ſcientiam*, ſive *Facultatem* particularem Theologicam, Jurisprudentiam, Ethicam, Oeconomicam, Matheſin, Medicinam,

Naturalem Hiſtoriam [&c.], peculiarem aliquam & *propriam Arcam habere poſſint*, ubi omnes & ſolos iſti ſcientiæ aut facultati proprios locos, titulosque diſponant, qui notionibus omnibus undequaque collectis, & propriis recipiendis ſufficiant.

§. 21. Cautela 5. de uſu ſpeciali ejus ad Panſophiam Comenianam & publicationis eo intuitu occaſione.

Quantum autem inventum hoc *ad* nobile illud Clariſſ. *Comenii de Panſophia* ornanda *propoſitum*, omnium ſane litteratorum, Magnatum, Academiarum, Principum votis, auxiliisq; fovendum, *conferre poſſit*, (niſi commodiorem forte viam aliquam, ſublime illud ingenium ante hac excogitavit:) aliis judicandum relinquo, ubi certè multorum (ut video) oculis manibusque in legendis auctoribus, rebusq; exſcribendis uti neceſſe erit, licet paucorum, aut unius tantum in recenſendis, dijudicandis, methodoque juſta componendis judicio & acumine.

Tantam ſane laudem de tam tenui opere ipſe ne captare, nec arrogare velim. Illud potius magni illius & nunquam ſatis laudati Viri cenſuræ exactiſſimoque judicio permittendum, ſi quid fortè ab exiguo hoc invento, tam præclaro operi conducere poſſe videatur, quale quidem ipſe meditatur, quodque genti litteratæ in *Conatuum Comenianorum præludiis*, Oxonii nuper Typis evulgavit, Vir ſingularis litteraturæ, induſtriæ & Candoris *Sam: Hartlieb:* mihi certe inter primæ ceræ Ami-

Amicos meritò numerandus, cujus potiſſimum judicio confirmatus, hortatu evictus, Repoſitorii hujus inventum, publicæ cenſuræ uſuræque committere non erubui. (a)

(a) *De publicatione illa nunquam facta, dixi* ſuprà, ad §. 9. *Scriptum autem cujus hic meminit, eſt* Oxonii *editum, Anno hujus ſeculi 1637. recuſum, 1639.* ibidem, & *poſt denuo* Lugduni Batavorum *1640. in 12. una* cum aliis Comenianis *ſcriptis. In quibus tamen cum etiam nullam hujus arcæ ſtudiorum mentionem obſervaverim, nec apud ullum tot meorum Bibliothecariorum invenerim, eo magis in hac ſententia,* quod lucem nunquam viderit, *confirmor.*

Membrum III.

INCOMMODA hujus ARCÆ, & eorum, per SCRINIUM novæ formæ excogitatum, elevatio.

Atque hactenus deſcriptio *Arcæ ſtudiorum*, cujus *commoda* uti ſatis expoſuit Auctor: ita *incommoda* ſane non levia videntur eſſe, quæ deterrere à talis machinæ conſtructione quemvis facile poſſent.

Etenim & (1) *ſumptuoſum* videtur nimis talem ſibi machinam comparare, &

(2) *operoſum* valde, ob laminas ſtanno obductas, aliquot mille, certa forma prius adornandas

ſingulas, pro ſingulis titulis præparandis, & ſecundum ordinem alphabeticum in enumerato habendis, quarum laminarum ſingulæ ſingulos iterum aciculos, ferruminatione conſolidatos retrorſum habere, antrorſum vero charta, peculiari glutine firmanda, obtegi debent. Unde *moles magna* conſurget, ac multis modis incommoda, *nec collocanda ubique facile, nec transportanda.*

Hiſce difficultatibus ergo; ut inventum alias ſuæ commoditatis non exiguæ futurum liberarem, meditatione aliquandiu habita, in *ſcrinium ſequentis formæ* arcam hanc commutavi.

1. Separetur *Scrinium* in loco parietis commodo ita, ut ſingulæ partes lucido conſpectui pateant ad primum intuitum, neque minus ſimul univerſæ: aſſigneturq; ſpatium *latitudine* minimum *bicubitali, longitudine* vero *tricubitali, per aſſeres, latitudinem* ſemipedalem aut *palmæ habentes.*

2. *Janua* plane *ſimilis* formæ illi accommodetur, extus quoquo modo operienda; Vel linteo ſolo, ſicut ego feci, quod iterum Tabellis Chronologicis Schraderianis obtexi. Vide TAB. IV. Ubi *bacillus* unus ut *converſus, parte poſteriori* ad, inſpiciendas ſchedas, alterius *L. exemti locus vacuus* repræſentatur, bacilli verò juſto pauciores hic ſunt exhibiti. Nam *meum Scrinium* ſeſqui cubitale, ſeu ſesquiulnæ Hamburgenſis latitudinem tantum habens, bacillos continet 42, quorum ſinguli ſchedis fere 60, univerſi pluribus quam bis mille quingentis in univerſum omnes ſuffecere. Janua etiam ſimplici, non bifori, ut hic exhibetur, apertura;

tura: quia experimentum inventionis capturo tale rudimentum ſufficere videbatur. At *figuræ hujus ductum ſequens*, ad *quinq; millia titulorum* ſpatium nanciſcetur.

3. *Bacilli quadrati erecti latitudine ſesqui unciali, craſſitie* tantum non *ſemiunciali* conficiantur; *ſuperius & inferius in minutiorem formam deſinentes*. Hi foraminibus ſuperni ac inferni aſſeris *inſerantur* ita, ut pauxillum *ſublati eximi*, ac levi motu *circumgyrari poſſint*. Quod facile obtinebitur, ſi ſuperiorum foraminum profunditas, & extremitatum teretum ſuperiorum *longitudo* ſuperet inferiorum longitudinem & profunditatem dimidia ſui parte (v. TAB. V, FIG. 1. & 3.)

4. Hiſce bacillis, *Schedæ*, *ex charta* non nimis tenui, vel *duplicata, vel ex pergameno albo* unciali latitudine bacillum transverſim ambientes, pone firmandæ clavo exiguo ferreo ſingulæ affigantur, titulos ubi opus ſit inſcribendos demum recepturæ parte ſui anteriore. v, TAB. V. Fig. 1.

5 *Clavi* illi non in totum adigendi ſunt, ſed *aliquo relicto ſpatiolo, cui filum ferreum ita inflexum ne facile decidat ſuſpendatur*, poteruntq; huic uſui eligi *clavi capitibus* paulo *latioribus*, impedituris, ne ſuſpenſa ullo motu decuſſa relabātur. Porro ferreum inde ſuſpenſum quodque filum, extremitate ſui *altera recipiat ſchedas excerptorum, longitudine palmari, latitudine unciali circiter diſſectas, inflexum* iterum taliter, *ne appenſæ ſchedæ excidere facile poſſint*. Cujus flexuræ modum mihi uſitatum, exhibet adjecta TAB. V. Fig. 2,


Quod ſi *latiores* forte *ſchedæ* occurrant, commodè non dividendæ, *plicatura* in eam qua opus eſt latitudinem *redigantur*.

6. Majoris adhuc commoditatis ergo, *jungi poterunt* huic ſcrinio pro baſi, qua neceſſario attolli à pavimento, commodioris uſurpationis ergo debet, *foruli* vel *ſcatulæ*, vel utraque, prout lubet, *recipiendis ſchedis, in numerum majorem*, quam ut commode appendantur, *excreſcentibus*: vel *majoribus* etiam *foliis*, aut *philyris*, ſcriptis, vel impreſſis, ad eosdem titulos pertinentibus. *Vid. TAB. IV.*


Quo caſu ſignari faſciculos ordine *oportet*, ac ipſa ſingulorum *ſigna titulis* ad quos pertinent *appingi*, una *cum numero* ſcatularum, aut forulorum, in quibus aſſervantur.

Quod ſi *portatile* velis hoc *ſcrinium* efficere, uti opus ſane fuerit maximè, pro ſtudioſis noſtris, Academias, & loca ſtudiorum mutantibus, vel alias ordinario, plus etiam quam ſit opus, malo more, aliquot annos plerumque, ſecus ac Socrates, domi ſapientiam omnibus ævi ſui ſaniorem nactus, peregrinantibus: illud demtis quatuor aſſeribus, facile ubique iterum compingendis, ita commodiſſime præſtabitur.

1. *Bacillorum loco laciniæ coriaceæ*, ſive *lora*, debitæ latitudinis & longitudinis adhibeantur, *ſuperne & inferne clavis*, aut *uncis*, parte ligno inſerendâ, *tortilibus, aut cochleatis*, (Schraubhäcklein/Häcklein mit Schrauben) affigenda & firmanda, commodius quam clavis ordinariis ad converſionem lororum, licet illi etiam ſufficere tandem poſſint ſumptus reformidanti,


TAB IV.

TAB. V.



TAB. VI.



danti,facile rurſus extrahendi quando ſit opus,ſi ſcilicet non profundè nimis adigantur. *vide* TAB. VI Fig. 1. 2. & 4.

2. *Chartæ craſſiores*,vel membranæ, *titulis recipiendis aſſuantur decuſſatim*, *diagonaliter* ſingulas oras ſingularum carpendo. (kreutzweiſe an den Ecken durchgeſtochen/und alſo angenehet) ut in *adjecta TAB. VI Fig.* 1. *&* 4. videre licet.

3. Loco clavorum, *ponè* annuli ferrei uſurpentur, ita ut *loco uniuscujusq; clavi*, antea ut dictum firmandis ſchedis, excipientibus titulos, & appendendis excerptis, ſervituri, *in medio cujusq; ſchedæ titulorum reſpondeat aſſutus annellus*, (eine Oeſe) *ex quo filum ferreum cum ſchedis excerptorum ſuſpendatur modo antea dicto*. vid. TAB. VI. Fig. 3.

Hac ratione patet facile, in ſcatulam aliquam convaſata excerpta noſtra, peregre quoque cum circumferre ut exemtibilia nobis integrum ſemper fore, in priſtinum ſitum,quoties opus dein,quovis loco reponenda.

Membrum IV.

DE COMMODIS HUJUS SCRINII litterati emendati.

SCrinium hoc literatum præſtabit nobis uon tantum *omnia* & *librariorum & ſchedaceorum excerptorum commoda*, ſed & *alia inſuper* quædam

peculiaria. Etenim 1. Æque ac in libros digeſta, *confuſioni* erunt *exempta*.

2. *Quemadmodum ſchedacea* alia, ita & hæc habebunt. (1) *enotationem facillimam*, ſchedis tantum ad manum poſitis, aut chartis in ſchedas dividendis, quibus inter legendum, auſcultandum, aut meditandum, inſcribamus notabilia: titulo vel deinceps aſſignando, ubi vacaverit, vel, ſi ſtatim inciderit, in relicto margine, ea parte qua filo ferreo appendi ſcheda debet, aſſignato. Quo caſu etiam per tertium quemque poſtea poterunt ſuis locis in ſcrinio appendi.

(2) *Uſurpationem commodiſſimam:* ſchedis pro lubitu eximendis, ac ad uſum quemque præſentem, ſerie tunc oportuna diſponendis, ita ut deſcriptione nova nulla ſit opus, quod ſane commodum eſt non vulgare. Imo ſi verbotenus inſeri debeant alicui noſtro ſcripto, tantum ſigno aliquo denotandæ quorſum pertineant, vel acicula ſcripto in mundum redigendo affixæ, ac deinde iterum in ſua loca recondendæ, neq; non communicandæ ſeorſim prout lubet, præſtabunt utilitatem ſane perfacilem, atque jucundam. (3) *Emendationem, & mutationem*, tum quod ad ordinem univerſum, tum quod ad reformationem peculiarem ſingulorum titulorum, neque non partium etiam ſingulis titulis ſubjectarum, *facillimam* & promptiſſimam recipient.

3. *Speciatim* vero illa commoditas inſuper haut exigua eſt, quod *uno intuitu titulos omnes, citra evolutionem* ullam, aut *repoſitionem* chartularum, ob oculos habere, atque inſpicere proindeque invicem *comparare*, atq; *componere* ad uſum præſentem

tem quam expeditiſſime poſſumus : Id quod in nullo excerptorum genere pariter nobis contingit.

Illud etiam hic *peculiare commodum* eſt, Quod integra *fragmenta librorum*, aut *programmatum*, vel *diſputationum* alienarum, conſcindendarum, (forte, quod alias præter hæc excerpenda nil contineant notabile, vel in duplo habeantur,) imò *integra Programmata*, *philyraſve* alias, licet ſcatulis ſubjectis incluſas, ſuos *ad locos redigere*, in ſcheda appenſa indicandas. Quod maximè commodum eſt in Programmatis, quæ in folio expanſo, ſeu uti vocant, patente, impreſſa, compactioni alias minus ſunt idonea. Nam reliqua, ut & diſputationes, licet minores forte, malit quis compactas uſui commodiori ſervare, atque nihilominus eorum argumenta notabilia ſuo titulo appendere.

Et ſane qui *parvo labore magnam* talium *locorum communium copiam habere* velit, is annua mercede præcipuarum, & Programmatis atque diſputationibus maximè fertilium Academiarum typographis, exigua conſtituta, brevi ſe videbit abundare omnibus omnis generis Collectaneis alienis : ſed niſi per ſelectum poſtea prudentem uſui forte minus quam oneri futuris. Quod ego alias ſuperfluarum chartarum, in mea, jam ſic mihi numeroſa nimis Bibliotheca, impatientiſſimus, nimis metuens, eo conſilio uti nondum huc usq; ſuſtinui.

Atque hæc de commodis hujus ſcrinii dicta compendio ſufficiant.

Incommoda vero *propemodum omnia ceſſabunt* in ſuperioribus excerptis memorata, imprimis ſi præcepta

cepta ſequentia quam optime adornandi hujus ſcrinii non prorſus negligantur.

Nam *ſumptus* quidem erit *exiguus*, & vel *unico imperiali* totus expediendus. Cum & annuli tales, & claviculi centuriatim exiguo pretiolo haberi, & filamenta ferrea, ope forcipis ad id vendi ſolita ferrariis mercatoribus (eine Bieg-Zange/) aliud agenti, ad voluntatem aliquot centuriæ unica hora inflecti poſſint, ſicut hoc ipſemet ſum expertus. Vide *Epiſt. narratoriæ adjectæ num.* LXVI.

Membrum V.

PRÆCEPTA circa Scrinium litteratum emendatum obſervanda.

PRæcepta hic *obſervanda* ſpeciatim pauca ſunt. v.gr. 1. *Circa qualitatem materiæ:* Illam quidem *omnis generis huic ſcrinio aptari poſſe* v. gr. *res* ipſas tum *ſingulares*, tum *univerſales*, adeoque *præcepta ſcientiarum, & exempla* cujuscunque generis, neque minus, *voces, phraſes, formulas, ſententias &c.* ſive *ſingula ſcrinia* velis conficere *ſingulis* horum, ſive *uno omnia complecti.*

Quo poſteriore caſu *ſchedarum forma & inſcriptio* poterit diſtinctioni ſufficere; v. gr. partim *dextrorſum*, partim *ſiniſtrorſum*, *partim ſurſum*, partim *deorſum* inſcriptione facta, ſchedisque appenſis, &c.

2. Circa *quantitatem apparet*, non niſi *ad multa excerpenda* tantum apara-

paratum fieri debere, cæteroqui & *lemmatice*, *& verbotenus* excerpendis ſuffecturum æqué.

3. *Circa ordinem*, ſciendum, *alphabetico* imprimis, & *methodico*, ſcrinium hoc fore aptum. Imo *& mixto ex utroq;*. Quo caſu *tituli primarii, rubro colore, aut alio diſcrimine, à ſecundariis debebunt ſecerni*, ſive jam hi, ſive illi, ſint alphabetice, aut methodice ordinati. Qua de re ſuperius dictum eſt.

4. *Circa formam externam* tum ad commoditatem, tum ad *ornatum* adhuc excogitari poſſent, quæ brevitatis ſtudio præterimus. Præcipue *conducet clavis & filamentis ferreis ſtanno obductis uti*, ad æruginem ſeu rubiginem evitandam. *Remiſſiones* etiam, licet minus, ob uno ituitu obviam inſpectionem, ſint hic neceſſariæ: *quandoq;* tamen *non* erunt penitus *negligendæ*, modis iisdem, quibus ante ſœpius circa indicis excerpta dictum eſt, expediendæ.

SECTIO XI.

DE EXCERPENDI GENERE EXTRAORDINARIO, uno atque altero, varie multiplicando.

PRæter hæc ordinaria ſtudioſis commendabilia excerpta, *varia* inſuper *extraordinaria* poſſunt dari: *reſpectu accidentium extraordinariorum*, qua *fini*, qua *mediis contingentium*. Ita

(1) *Finis* plane certus & *peculiaris*; v. gr. diſputationis alicujus, aut tractatus, aut Lexici conficiendi: excer-

excerpendi etiam huic uni ſoli uſui rationem extraordinariam admittet. Ita *Imperator Auguſtus*, amicis & officialibus ſuis excerptas ſententias pro uſibus eorum miſſurus, ut eſt apud *SVETON. in Vita ejus* c. 89. minimo ex ſuperioribus apparatu indigebat.

(2) *Media extraordinaria* dari poterunt e. g. 1. *Materia in qua* excerpimus *extraordinaria* Quemadmodum legimus *Ægyptios pyramidibus hieroglyphica* ſua excerpta inſcripſiſſe, *Filiosq; Patriarchæ Seth* columnis, *JOSEPHO in antiquitatibus Judaicis* docente. Quo pertinent *phylacteria Hebræorum*, memorata *DEUT. VI. 8. 9.* fimbriæq; veſtium. *Ibid. Pſ. 19. & NUM. XV, 18. PROVERB. III. 3. & VI. 21. & MATTH. XXIII. 5.* Item vetuſtiſſimæ *inſcriptiones, ſacris poſtibus, & parietibus factæ*, de quibus eleganter, *HUETIUS Demonſtrationis Evangelicæ Prop. IV. c. 2. §. 14.* p. m. 47. & 48. Ita *foribus, feneſtris, aliisve partibus ædium, hortorum, theatrorum*, inſcribi excerpta ſolent. Quæ cum ad pauca ſe plerumque extendant, imprimis in privatorum non adeo magnis ſpatiis, *ad divina* plerumque, *& moralia*, quæ nunquam ſatis moneri poſſunt, ob oculos ſemper habenda potius, quam ad eruditionem adaptari debent. 2. *Forma ſuperiorum* etiam excerptorum extraordinaria fiet, *per mixturam ſpecierum, & modorum*, ſingulis ſpeciebus ſubordinatorum, extraordinariam: non *combinando* tantum v. gr. *libraria partim & ſchedacea, adverſaria & alphabetica, Methodica & adverſaria &c.* ſed *multiplicando* etiam mixturam v. gr. *methodica* partim, & *alphabetica*

tica, & alia parte *adverſaria*, imo & *commentaria* partibus aliis, eadem excerpta facienda: idque modo hac, modo illa ſpecie primas præ reliquis obtinente. Cujus mixturæ *commoda, incommoda, & Præcepta*, *ex dictis ante* de ſimplicium unaquaque, fuerint *haurienda*: adhibitâ in conſilium experientia & prudentia.

(3) *Societas excerpentium* extraordinariam faciet excerpendi rationem, de qua *ſequenti ſectione*.

SECTIO XII.

DE

EXCERPTIS SOCIALIBUS.

SOcialium Excerptorum primus mentionem, quod ſciam, *fecit KECKERM. Conſ. Log. de adornandis Locis Communibus c. 1. p. 3. columna 2. circa finem*: exponens, quomodo *plures conjungere poſſent operam* ſuam *in excerpendo*. Quod ipſum *pluribus modis* fieri poterit: videlicet (1) Ut *uno prælegente, alter* indicet atque *dijudicet* excerpenda, *tertius exſcribat*, quem *KECKERMANNUS* præcipuè videtur innuere modum. (2) Ut *ſeparatim quisque legens eundem Auctorem, excerpat diverſa*, v. gr. Unus ea quæ ad ſermonem pertinent, alter hiſtorica, tertius præcepta, ſententias &c. communicentque ſibi invicem ſua excerpta. (3) Ut *diverſos ſinguli Auctores excerpant, eodem modo & fine*, invicemque ſua excerpta communicent.

Utili-

Utilitas hujus laboris *maxima* facile patet, ex generali utilitate collegiorum,& ſocietatum inter eruditos, & olim jam & hoc etiam ſeculo iniri maxime cœptarum, & porro ineundarum, ſi virorum optimorum votis ac deſideriis reſpondeatur. Quos inter videatur *Georg: FINWETTERI Pius Deſiderius* de ſeptem novis ſocietatibus ineundis in 12mo Biponti 1681. editus.

Et ſane perfectiſſima etiam aliqua ſcripta hoc & ſuperiori ſeculo videmus,ſociatim elaborata prodiiſſe. Qualia ſunt *Collegium Conimbricenſe*, *Poëtica Gieſſenſis*, *Dittionario della Cruſca*,cui ſimile Gallicum *Academia Gallicana* Pariſiis à Richelio fundata, jam XXX. amplius annis conatur,de quo videatur Hiſtoria Gallice ſcripta de l' Academie Francoiſe *Peliſſonii*, & *Novelles des lettres*, annorum ſuperiorum, aliquoties mentionem ejus facientes : ac deniq; jucundiſſima recreatione modo me affectum relinquens *MORHOFII Polyhiſtor* l. 1. c. 14. p. 149. plures ſociales libros editos recenſens. Ut *Theologica ſcripta*,*Collegiorum* integrorum ope publicata plurima, nunc ſilentio involvam, & alia aliorum argumentorum *Juridica*, *Politica*, &c. publicè edita, & ſi minus in vulgus, attamen eruditis omnibus & rei librariæ curioſis nota.

Quandoquidem autem *propter hominum invidiam & diſcordiam rarior* eſt *hic modus*, ſuperſedebimus nunc ejus præceptis operoſe efformandis, quæ coëuntes paulo ingenioſiores, ex ſuperioribus facile ſibimet formabunt. Imprimis autem liquet,*ſcrinium literatum*, vel *ſchedacea* ſaltim *excerpta*, *præ reliquis accommodatiora* hic fore,quam libros compactos,&c.

CAP.

CAP. III.

De *Varietate Excerptorum ratione Materiæ* Excerpendæ.

§. 1. SPECIES varietatum MATERIÆ excerpendæ ad certa capita redactæ.

HActenus de formis & modis excerpendi: ſequitur Materia varia, quibus formæ ſuæ debent applicari. *Materiæ* hujus *duo ſumma genera* conſtitui optime poterunt: nempe *Res*, & *Verba*, unde *Realia* & *Verbalia Excerpta*, ſive *copia rerum & verborum*, ut *ERASMUS* inſcripſit ſuos libellos toties recuſos ſane pereruditos. v. *KECKERM. conſil. Log. c. 1.* Illa merito prius hic conſiderantur, licet in praxi, verborum excerpta fere prius conficiantur. Quandoquidem ſignati naturam ſigna in plerisque ſequuntur: licet interim ſenſibus magis obvia, prius percipiantur, etiam à rudioribus, & minus ſignatorum peritis.

Realia Excerpta, vel *Univerſalia* ſunt, vel *ſingularia*.

Univerſalia ſunt ipſa ſcientiarum principia, & principiata. v. gr. definitiones, diviſiones, & propoſitiones, qua Theoreticæ ſeu Theoremata, qua Practicæ ſive Regulæ, Præcepta, Problemata cum ſuis demonſtratiouibus: adeoque univerſa *Philoſophia*, & ſcien-

tiarum Circulus, ſive ἐγκυλοπαιδία, una *cum facultatibus*,ita dictis ſuperioribus, *Theologiæ*, *Jurisprudentiæ*, & *Medicinæ*. Huc ergo pertinentia excerpta *§. proxima* 2da conſiderabuntur.

Singularia excerpenda diſpeſci poſſunt optime in *Exemplificantia*,& *non exemplificantia*,cum *KECK. Conſ. Log. de loc. C. cap.* 1. *Illa §.* 3. *hæc §.* 4. nobis conſiderabuntur.

Verbalia denique, ſive ad ſermonem pertinentia ſingularia Excerpta, *ſectione V. & ultima* hujus capitis conſiderabuntur.

Quamvis autem hæc *omnia uno volumine* tandem excerpta compræhendi, vel uno modo ſchedaceorum, *unaq; molè conſtringi poſſint*, maximè à *paucioru excerpentibus*: attamen & tunc à potiori ducenda erit methodi ratio, adeoq; conducet unamquamque ſpeciem ſeorſim conſideraſſe miſcendarum etiam materiarum. Paulo verò *plura*, *& perfectiori ordine excerpturi*, (quorum eſt habenda potiſſima ratio) nunquam hæc omnia ita confundent, velut plura jura confundit coquus: ſed utique *diſtinctim*, ſi non *omnia*, certe *pleraq; excerpent*.

§. 2. DE UNIVERSALIUM EXCERPTIS.

UNiverſalia vel *conjunctim omnia*, vel *diviſim aliqua* excerpere poſſumus.

1. *Conjunctim univerſam Philoſophiæ, facultatumq; ſuperiorum ſcientiam*, ſive *altiores*, ut

cum

cum *GELLIO* loquamur, *diſciplinas* excerpturus, vix alia quam *adverſaria* ratione id facere poterit commode, ſi libris uti velit; vel *alphabetico ordine*, ſi chartis ſolutis. Equidem & *commentaria* tandem excerpta poſſent hic adornari, v. gr. *ad Alſtedii, aut alterius*, qui ἐγκυκλοπαιδίαν ediderit, *methodum*. Sed hoc ipſum, ſine alphabetico indice cum nemo facile ſit exſecuturus, ob memoriam cæteroqui methodi tam late patentis incertam: liquet, *tædii quam commodi* facile *plus* hac ratione nobis oriturum. *Propriam* vero *ſuo marte adornatam omnium diſciplinarum methodum*, laudabilem inſtituere, uti *KECK. c. 3. Conſ. Log:* videtur voluiſſe, *vix unius hominis videtur*. *Neq; placet* hic *ab ARISTOTELE 1. Top. XII. commendata diviſio tripartita*: *in corpus* nempe excerptorum *Logicum*,

Phyſicum,

Politicum ſive

Practicum, multo minus *Gallico ANONYMO* memorati *c. I. §. 4. n. 8.* ſcripti *diviſio in Ethica*

& Phyſica ſola, manifeſto mutila, & confuſionis maximæ futura. Quare potius hoc caſu abſtinuerimus omni tali partitione.

Quandoquidem nec uſum hujus rei video magnum, & licet forte diſcrimen hoc triplex ſit omnium evidentiſſimum, nondum tamen vel hac ratione, quo minus eædem materiæ, tituli que iidem, diverſis in voluminibus repetendi veniant, evitabitur. Sicut *ipſemet* hoc ſum *expertus*: adeoque ſeparata prius deinde rurſus in unum contraxi. v. *Epiſt. adj. n.* XXIX.

2. *Diviſim* itaque *præſtiterit* omnino, ſi

non omnes, ſaltim *præcipuas ſcientias*, minimumque unam aut plures, *quibus præ aliis operam ſis daturus*, *methodice excerpere*, reliquis ad alphabetica vel adverſaria relegatis. Certe ſuperioribus, quas vocant, *facultatibus ſingulis*, *ſingula* omnino, & quidem *methodica* potiſſimum *excerpta* erunt *aſſignanda*. v. *BARTHOLIN. de legendis libris p. 189. UDEN. c. 1. p. 34.* Quod ſane longè præſtabit, quam adverſaria etiam hic ſola, *DREXELIO l. 2. c. 30. p. m.* 167. commendata uſurpaſſe, aut alphabetica, quæ *HEGENDORFINUS* JCtis admodum imperfecta proponit, & cum eo *Matthæus GRIBALDUS de meth. ac rat. Jur. p.* 123. laudatus tamen *DREXELIO l. 2. c. 10. p.* 168. Ita inſervient Methodica excerpta (1) *Theologiæ*, ad inſtar tot ſyſtematum, & locorum communium jam ordinatorum, facilè adornandæ: (2) *Jurisprudentiæ*, hoc ægrius excerptis cariturae, quo magis in memoria ſubſiſtit legum plurimarum. Unde *JCtum fieri per calamum.* dixit *JASON*, apud *ANONYM. de Perfecto JCto, in Cynoſura juris, Spiræ* 8. edita 1588.

& (3) *Medicinæ*, de qua vide *BARTHOLINUM, de legendis libris p.* 189. & 190, Ubi *Sennertum* commendat, utique methodicum ſatis, niſi nuperis inventis, & hinc mutata Phyſiologiæ præcipue doctrina, præſtet alius, ordinem ejus in cœteris etiam adæquans, in hiſce vero etiam ſuperans, vel in omnibus fortaſſis. Rationes autem, *cur Methodica collectio præſtet*, omnem vitam in aliqua ſcientia conſumturo, facile patent, *ex dictis cap. II. Sect.*, §. 8. 2. Quamvis tandem omnis generis & modi excerpta, pos-

poſſint etiam hic adhiberi. *V. ZEPPER. de ſtudio Juris in fine*: non tamen æquali utilitate, ut dudum animadverterunt alii, & in Jure *Modeſtinus PISTORIS*, adornatis methodicis locis, in modo laudata *Cynoſura Juris* expreſſis. Adde *SCHILTERI Praxin Analytices in Jure*, *parte altera* §. 18. & *LEIBNIZ method. nov. Jurisprudentiæ*. §. 85. & *ſeqq.*

Poterunt autem hæc methodica excerpta *vel* concinnari *ſecundum ordinationem propriam*, ſi commodum ſatis ſyſtema non inveniamus, vel ex pluribus unum compingere, vel ipſi melius aliquod novum meditari malimus.

Vel vero *ſecundum ordinationem alienam Commentaria* faciendo excerpemus, *eligentes optimum* quod novimus *compendium* aut *ſyſtema, quod* & *materias omnes* titulorum minimum *complectatur*, & *ordine excellat*. v. gr. *Grammaticam Voſſii, Logicam Jungii, Mathematica* compendia *Taſſii*, *Poëticam Gieſſenſem* &c.

Pro ſuperioribus facultatibus *Theologis* ſatis vaſtum ſyſtema *Loci Theologici Gerhardi*: *Brevis Catecheſis* accuratior *quæque*, aut *Theologia poſitiva Königii*, ſuppeditabit.

Juris compendium *Inſtitutiones reconcinnatæ noſtræ* præbebunt, cui ſyſtemata ipſa poſſint facile adaptari qualiacunque majora, v. gr. *Struvii* Syntagma, *Collegium Argentoratenſe*, *Weſembecius*, *Lauterbachius*, &c. Sed ita ut *peculiare Juris publici*, (nonniſi) quantum ad antiquitates ſuas ex Juſtinianeis voluminibus petendi) *compendium*, ab ejusdem curioſis adhibeatur:

quod quo *recentius*, cœteris paribus, eo melius fuerit, ob mutationes publicorum jurium frequentiores, donec etiam huic inſerviens *pars Juris naturalis noſtri Politica* publicetur.

Medicinæ Syſtema methodicum quo recentius quodque, ob inventa nova, hoc melius erit, modo ne ſit nimis confuſum: Vetera enim etiam inutilia plane, quatenus inventis novis deſtituta, ſint oportet.

Methodicis hiſce, aut Commentariis excerptis, *expedit ſuccenturiare*,

(1) *Volumen adverſarium*, *unam* ſæpe *propoſitionem* loco tituli poſitam *pluribus teſtimoniis confirmans*, v. gratia.

Pro *Theologis*, *ex S. Scriptura* vel *Patribus*.

Pro *JCtis*, ex *legibus* aut *Interpretibus*.

Pro *reliquis*, ex *ſuæ ſcientiæ Auctoribus famoſiſſimis* quibusq;.

Pro *Rhetoribus*, ex *proverbiis*, *verſibus* Poëtarum, *adagiis*, *allegoriis* ſeu *ſimilitudinibus*, & *aliis ornamentis*, quemadmodum videmus *Magiro* factum.

(2) *Volumen* aliquod quaſi *reflexivum*: *comparationes materiarum univerſaliſſimas*, *adverſariis titulis exhibens*.

v. gr. Pro *Theologis*: Contradictiones Scripturæ apparentes, Interpretationes abſurdas, Textus nondum intellectos &c:

Pro *JCtis*. Leges Juri naturæ, vel divino contrarias, Antinomias veras, vel apperentes, Opiniones communes, vel contra communes.

Interpretationum omnis generis bonarum, malarum,

larum, dubiarum, imo Interpretum ſibimet ipſis contrariantium exempla &c. ſimiliter in aliis diſciplinis, conſenſus, diſſenſus, progreſſus, in melius, vel deterius, & aliæ comparationes Medicorum dogmatum, aut philoſophicorum omnis generis, poterunt annotari, à verè ſtudioſis & diligentibus quibuscunque.

(3) *Commentaria ſpecialia* quibusdam ſcientiis, & imprimis facultatibus ſuperioribus, *ad præcipuos* & quaſi fundamentum illis præbentes *Auctores*, v. gr.

Theologis, ad *ſacras Literas notæ*, & notarum ſeu commentationum *auctores*, uti *DORSCHEO* & *GRAMBSIO in Bibliis numeratis* factum, ac item *exegeſes*, ſive *interpretationes*, qua bonæ, ac ſolidæ, qua malæ, ac refutandæ.

Concionatoribus, ad *Evangelia* & *Epiſtolas* præcipue, textusve alios frequentius exponendos, utilia colligentur. v. *UDEN. pag. 43.*

JCtis ad *textus Legum præcipuos*, aut *ſtatuta*, vel Jura provincialia, loci maximè illius, in quo verſantur, & praxin Juris exercere debent. Ita *MEVIUS ad Jus Lubecenſe*, *CARPZOVIUS ad Electoralia* definitiones ſuas, nunc adeo receptas ubique, alii ad alia ſtatuta collegere commentaria, ſane multum vendibilia.

Ita *Medicis Hippocrates*, *Philoſophis Ariſtotles Mathematicis Euclides* &c. commentariis excerptis utiliter poterit illuſtrari.

(4) *Particulares* etiam *methodicè digeſtæ Materiæ ſcientiarum, præ aliis eminentes*, uſu aut difficultate, ſeparatis à toto ſyſtemate commentariis poterunt exornari, prout conſultum videbitur, & ſpecialis vitæ

ratio exiget. e. g. *Advocatus* ſyſtemati ſuo juris, *Auctorem de proceſſu*, aliquem methodicum peculiarem recte addet. Imò *ad Tabulas Actionum editas poſteriores duas noſtras*, notabilia practica ſibi colligere, ac in promptu habere laborabit utiliter, ſive praxi, ſive theoriæ ſe daturus unusquisque accuratæ. *Politicus*, de ratione ſtatus. *Legatus*, de Legatis ſcriptorem egregium. *Conſiliarius Conſiſtorii*, Conſiſtorialem prudentiam *Carpzovii*. Similiter *alius alium ſibi maxime utilem librum*, memorabilibus ſuis augendum ſibi capere poterit excerptis, prout unicuique hoc prudentia ſua, vel conſilium alienum eam adjutura, potius quam univerſalis noſtra diſciplina debet edocere. Interim exempla etiam aliqua noſtra extant *Epiſt. adj. n.* XVI. XVII. XX. *& ſeqq.*

§. 3. De SINGULARIUM EXEMPLIFICANTIUM Excerptis.

SINGULARIA EXEMPLIFICANTIA Excerpta vocamus illa, *quæ* ut *univerſalis alicujus propoſitionis aut notionis exempla* conſiderantur.

Generatim de horum excerptis notandum: quod *expedit* omnino non tantum *uno genere*, ſed & uno *corpore* v. g. volumine, faſciculo, *ſcriniove* literato, quam *junctiſſima ſuis univerſalibus ſingularia enotare*. Quandoquidem & cognatio eorundem, & mutua illuſtratio, & probatio, eſt vere perpetua: proindeque uſus non poteſt non vere conjunctus ſemper exiſtere.

Speciatim (1) Quoties univerſalium habemus *metho-*

methodica excerpta (ſicut omnino expedit habere) quam *utiliſſime* ſtatim *ad definitiones & propoſitiones ſuas exempla ejus generis referentur*, contra *Bodinum*, notatum *KECKERM. conſ. Log. c. 7. pag. m. 14. 15.* e. gr. ad partes *Logicæ* notionum ſpecies variæ, definitionum bonarum, aut malarum, propoſitionum crypticarum omnis generis: argumentationum ſimplicium, aut compoſitarum, Logice, crypticeve propoſitarum, bonarum aut malarum. v. gr. paralogismorum, ſophismatum, item reſponſionum & ſolutionum aptarum, aut ineptarum. Imò diſputationum aptè vel ineptè inſtitutarum, ut & Analyſium &c. Qualia quisque ſui potisſimum ſtudii, quæ ſectari debeat, ex generalibus c. I. dictis patet. Ita *Theologus* Chriſti, Prophetarum, & Apoſtolorum ἀποδείξεις ſive demonſtrationes, & ſolidiſſimas adverſariis datas reſponſiones, cum Diaboli, & pro illo diſputantium heterodoxorum hominum vitioſorum cavillis theoreticis, & magis adhuc practicis, vitam æq; ac doctrinam corrumpentibus, comparandas, ex ipſis ſacris litteris, & libris aliis, imo vitæ uſu ipſo, excerpet. Alius ex aliis ſuæ diſciplinæ auctoribus, aut obſervationibus vitæ, propriis, vel alienis. Quod idem de ſequentibus dictum volumus ſemper.

Similiter in *Rhetoricis* annotari poſſunt exempla locorum Communium, aut materiarum in utramque partem orationibus diſertis tractatarum. Quo ſane in genere *miror nondum extare univerſalem* aliquem *indiculum* alphabeticum ſaltim, *antiquarum Orationum* omnium argumenta nobis & lemmata exhi-

bentem, qua ſacrarum Homiliarum à Patribus, qua profanarum Orationum ab aliis Græcis Latiniſque ſcriptoribus antiquis proditarum. Quin ſane ut modici laboris, ita maximi ſit uſus futura talis collectio, præque multis aliis in hanc usque diem publicatis, commendabilis atque vendibilis futura.

Cum etiam à recentioribus editæ ſint *diſpoſitiones*, qua *Concionum* ſacrarum, qua elaborandarum *Orationum* etiam profanarum jam ordinatam inventionem, atque ſola elocutione adhuc carentem exhibentes: profuerit etiam Eloquentiæ ſtudioſo, earum ſibi aliquem uſui ſuo peculiariter deſtinatum indicem collegiſſe. Quamvis hic aliquo etiam ſelectu in tironem non cadente rem indigere, non ſit omnino diſſimulandum. Quandoquidem earum diſpoſitionum pleræque, non tam ad flexanimam vere ſuadam, vel Chriſtianam, vel Civilem, quam ad oſtentationem ingenii meram, & quaſi Theoreticam aliquam ordinationem concinnam, aut artificio mirificam, aut varietate ordinum circa idem thema plurimorum ambitioſe luxuriantem, ſoleant præſtare, ad inanem gloriam auctoris potius, quam ad uſum Lectoris profuturam. Quod ut in profanis vix excuſabile, ſic in ſacris lugubre dicam, an deteſtabile, nedum ut imitabile aut memorabile excerpendum ulli arbitramur. Quemadmodum vero integra corpora talia vel ſcelcta diſpoſitionum, carne ſuccoque ſolo elocutionis deſtituta, robore tamen oſſium & nervorum, atque contextu facundiæ inſtructa commendamus excerpenda: Ita non minus etiam Partes facundæ inventionis, diſpoſitionis, aut elocutionis colligendæ.

Quo

Quo pertinent quæ *Antitheta* vocavit Illuſtris *BACO de Verulamio*, & aliqua collecta exhibuit, aureolo ſuo *de Augment. Scientiar. lib. VI. cap. 3. pag. m. 479. & ſeqq.* ſive in utramq; partem ingenioſe atq; ſententioſe conceptas illuſtrium materiarum ſuaſiones diſſuaſionesque.

Sic & alia quævis exempla Argumentorum moratorum, aut affectuoſorum illuſtrium. &c.

Ita ad partes *phyſicæ* colligantur obſervationes naturales omnis generis, v. gr. circa ſidera, meteora, animalia, inſecta, plantas, gemmas, mineralia &c.

Denique ad *Philoſophiæ Practicæ* partes, *Ethica* exempla virtutum, vitiorum, ſemivirtutum, ſemivitiorum, indagationum, & curationum moralium.

Politica exempla rerum publicarum ſimplicium, aut mixtarum omnis generis, corruptelarum item, aut remediorum, bene aut male adhibitorum &c.

Sic & *Juris naturalis* ſocietates omnes reliquæ ſimilibus exemplis poterunt illuſtrari.

(2) Huc referri etiam expediet, *collectanea bibliographica*, *Auctorum*, *methodice* imprimis *ſcientiam* aliquam, *ejusve partem*, aut *propoſitionem* plane *peculiarem*, *ex profeſſo tractantium*. Unde non augeri modo, ſed *in longe melius efformari* queant collectanea hujus generis *Draudiana*, vel *Lipſiana*, vel quævis alia, huc usque prodita; rejecta omnino *KECKERMANNI c. 4. Conſ. Log.* commendata confuſa ſcriptores enotandi ratione. Neque directa tantum ſed & *reflexiva Bibliographica* ſecundum materias digeſtas *collectanea* huc pertinebunt

v. gr.

v. gr. *quinam ſcripſerint de ſcriptoribus Ethicis, Politicis, Rhetoricis* univerſim, aut quinam *de parte qualibet ſcriptores percenſuerint* recenſuerintque v. gr. *qui ſcriptores de Anima*, deve illius *immortalitate* ſola, qui *JCtos de Actionibus* tractantes, qui *auctores de Epiſtolis conſcribendis*, aut alios, collectim ex profeſſo, vel occaſione quapiam *memoraverint*. Cujus poſterioris generis ſane laudabiliter ſæpe, ac utiliter æquè, & curiosè, memorata quædam *in Eruditorum Actis* (jure ita ſummo, non tam quod ad eos ex quibus, quam eos etiam per quos collecta ſunt, reſpiciendo) inſcriptis, ſæpenumero cum delectatione depræhendo.

Circa prioris generis vero auctores ex profeſſo laborantes, operæ pretium ſit videre *VOGLERI introductionem in omnes omnis generis ſcriptores, & LABBEI Bibliothecæ Bibliothecarum ſubjunctos* indices ejus generis, opera *TEISSERII* nuperrimè auctiores. De quorum additamentis, à me, ſi Deus voluerit & vivam, expectandis. *v. Epiſt. adj. n. V. XXII. LXI. & LXIX.* (3) Quia non poſſumus omnium ſcientiarum habere methodica excerpta, & licet habeamus, interdum tamen univerſalibus ſubordinanda *ſingularia* numeroſa nimis occurrunt: hinc omnino *adverſaria* quandoque *methodicis ſuccenturiare* hic etiam *per opus eſt omnino*. Imprimis non tam in chartis ſolutis, quam voluminibus excerpenti, ubi prout volumus interjicere pluſcula non æque ſemper licet.

(4) Denique *methodicis* etiam excerptis *aut qualibuscunque alienis hic licebit commentaria* noſtra *excerpta ſociare*. v. gr. ſi quis augendum

capiat

capiat ſibi *Bayerlingii Theatrum*, vel particularem aliquem Auctorem, v. gr. *Böethium* de *Gemmis*. *Agricolam de metallis*. &c.

§. 4. De SINGULARIUM non EXEMPLIFICANTIUM excerptis.

I. NON EXEMPLIFICANTIA SINGULARIA voco illa, *quæ citra reſpectum ad certa univerſalia conſiderantur*, *ſive* id contingat *ex ipſa eorum natura*, *ſive ex inſtituto* tantum & conſilio, atque intentione *excerpentis*: dum ille propter ſe, non vero quatenus exempla præbent univerſalibus, ea excerpit.

Utraque vel *ordinis capacia* ſunt,
vel *incapacia*.

II. *Ordinis capacia* excerptis *methodicis rectius*, *quam adverſariis*, aut *alphabeticis digerentur*. Id quod *variis modis* fieri poteſt. (1) *Ad ſeriem temporis*, ſecundum prius & poſterius facta collocatione. Ita E. gr. *Hiſtoria univerſalis*, aut ejusdem aliqua pars: *Hiſtoria* v. gr. *Eccleſiaſtica*, aut, *literaria*, hujusve aut illius *Monarchiæ*, *Populive*: imo *hominis alicujus vita*, ſecundum ſucceſſionem chronologicam optime diſponetur. (2) *Ad locorum intervalla* & ſpatia, tum ipſæ, illorum deſcriptiones, adeoque, *Geographia univerſa*, neque minus *Chorographia*, vel Τοπογραφία *particularis* poterunt diſponi. *Tum acta* vel alias *notabilia in ipſis illis locis*: v. gr. prœlia, itinera, ſolemnia, feſtivitates, & ſimilia poterunt

potetunt proceſſionis à loco in locum ſucceſſione recenſeri. (3) *Ad partium diſcrimen in ſenſus maxime incurrens*, adeoque *naturale potius quam artificiale*, multa ſingularia; & in iis notanda, excerpi poſſunt. v. gr. *partes animalium, plantarum* &c.

Quamvis *accurati quid in hoc genere vix citra artem*, adeoque *reſpectum univerſalium*, ex arte & ſcientiâ digeſtorum, *ordinare licebit*: niſi velimus ordinem arbitrarium aliquem ac placitum adornare, imaginationi potius noſtræ, quam judicio communi ſerviturum. E. g. *Reipublicæ* alicujus *deſcriptionem methodice ad ductum Conringii* de Prudentia Civili c. XII. excerpſiſſe, vel ſiquis alius ordo adhuc præſtantior ex accuratiore Politices cognitione innotuerit (quo fortaſſis *Juris publici naturalis noſtri compendium* aliquo modo conducet) ſane magis egregium ſit, quam adverſaria confuſione in chartam conjeciſſe. qualem *IIDENIIIS* ex quodam *Conringii Mſſ. de rebus publicis* memorat tanto viro uſurpatum. Idem *de ritibus privatis* aut *publicis gentium* ac *populorum* dictum eſto.

Imprimis autem conducet hic *methodica commentaria excerpta* potius, quam propria facere, quoties Auctor aliquis inſtituto noſtro non plane diſſormis extet.

Ita v. g. cum expediat unicuique literato, aliquod *hiſtoriæ univerſalis*, aut *Compendium*, aut *Syſtema* ſibi notum facere: omnino ad illud potius quam ſeorſim excerpet. v. g. *Tabulis Schraderi*, *Chronologiæ Calviſii*,

viſii, vel ſeparatim quantum ad hiſtoriam literariam: bibliothecæ Claſſicæ Joh. Jac. *Friſii*: Similiter vitæ Ciceronis à Georgio *Fabricio* conſcriptæ, Antiquitatibus Romanis *Roſini*, ſimilibusque libris excerpta ſua poterit annectere commentando, quisquis eo genere ſtudiorum delectatur. *v. Epiſt. adj.*

III. *Ordinis incapacia ſingularia*: v. g. *Nominum propriorum*, aut omnium, aut certi *generis notabilia* promiſcua, niſi *alphabetico* aut ſi plura ſingulis nominibus addenda veniant, *adverſario* etiam *ordine*, vix poterunt excerpi. Ubi tamen etiam licebit *commentaria* facere *excerpta*, capiendo pro baſi edita *Lexica* ſive *Onomaſtica*. v. gr. *Generalia Gesneri*, Caroli *Stephani* auctum à Nicolao *LLoydio*. Omniumque locupletiſſimum nuperrimum *Hoffmanni*. Item *Specialia Geographica*, v. g. *Ortelli*, aut *Ferrarii*. *Literaria* ſive ſcriptorum *Friſii*, *Königii*, & aliorum &c.

IV. Denique operæ pretium eſt hic iterum inculcare, jam ante aliquoties commemoratam, & in Ethicis noſtris præcipue commendatam *propriorum ſingularium excerptorum utilitatem longe maximam*. Ut nimirum unusquisque *ſuæ ipſius vitæ*, tum corporis, tum animi maxime, & alterutrum aut utrumque afficientium, qua fortuitorum, qua conſulto conſilio dextre vel ſiniſtre, ſucceſſu aliquo, modico, vel nullo, adhibitorum rationes, longe accuratius etiam annotet, quam aliena, ſiquidem bene ſibi conſulere velit.

Id quod ordine quidem naturali, ſecundum temporis ſeriem *diario facto*, commodiſſime expedietur ita, ut *paginis dextris ad* vitam corporis, *ſiniſtris ad animum*

animum pertinentia inſcribantur : *Indice* præcipuorum eventuum, & olim ac ſæpius recordandorum *alphabetico* ſubjuncto , *ſignisq́ diverſis* etiam hæc ipſa prius, quam indici forte inſerantur, aut ut citra indicem etiam percurri generatim poſſint , â reliquis *ſecernendo*. v. *KECK. c. 7. Conſ. Logici* & *Epiſt. adj.* n. XLIV.

§. 5. De Verborum, ſive AD SERMONEM PERTINENTIBUS EXCERPTIS.

I. AD *ſermonem pertinentia* excerpta omnia, *ſingularium habent naturam*: proindeque partim *exemplificantia*, partim non *exemplificantia* exiſtunt.

II. *Exemplificantia*, ſive exempla, vide commendata præcipuè *Lipſio. c. 12. Inſtit. Epiſtol. DREXELIO. l. 3. c. 6.* Ea *præceptis ſuis univerſalibus*, aliquâ ſuperius dictarum ratione excerptis, methodicis rectiſſime ſubjicientur: quæ ſi deſint, adverſariis titulis utendum: v. gr. *Grammaticis*, rariores declinationes, Conjugationes, Anomaliæ omnis generis, Conſtructiones, &c. *Rhetoricis*, figuræ, Tropi, Characteres dicendi, Formulæ Oratoriæ, vide *KECK, Conſil. c.* 4. *ſ. 8. b.* Epiſtolicæ, Familiarisve collocutionis , Connexiones &c. *Poëtica*, quantitatis, & Metri obſervationes &c. Quorum ſingulorum, quoties *Auctor* aliquis *idoneus* exſtabit, etiam *methodica commentaria* excerpta commode fient. v. g. ad *Starkii*, vel minus etiam his commendabi-

mendabiles,&ſi ſæpius recuſas,*Buchleri* Formulas Epiſtolares. &c.

III. *Non exemplificantia* verbalia excerpta, ſunt *voces,phraſes*, & *formulæ*: per ſe, ac citra reſpectum præceptorum notabiles,adeoque omnino ſtudioſis litteraturæ elegantioris omnibus aliquæ ſaltim excerpendæ: quamvis *contra* ſtatuere videatur,cum *QVINTILIANO*, & *BARTHIO*, *SHEFFERUS de ſtylo c. IIX*, §: 8. *p.* 146. qui tamen ejusdem *capitis* §. 12. *p.* 154. ipſe præcepta quædam huc pertinentia tradit. Etenim nemo facile omnium elegantiarum æque ſemper meminerit, imprimis circa linguam ſibi non vernaculam: & repræhenſa modo memoratis Auctoribus imprudentia ſeligentium, non probat errorem,nec improbat diligentiam bene colligentium.

IV. *Colliguntur* autem *Voces*, *Phraſes*, & *Formulæ*,*non exemplificantes* (1) aut *conjunctim* una *cum rebus* quarum ſigna ſunt, & ita ſuffecerit *una ex realibus excerpendi rationibus*, *diſtinguendo* tantum *ſignis arbitrariis* verbalia à realibus. *v. KECK. Conſ. c. IIX.*

(2) *aut* vero *ſeorſim* excerpimus ea, quæ ad ſermonem pertinent, id quod omnino conſultius longe ſit pluſcula excerpturis. Et tunc iterum vel *ſeparabimus voces à phraſibus & formulis*: aut *conjungemus* cum iisdem.

V. *Separatas voces* incommodum omnino fuerit, ordine nullo diſponere, vel ſolum diſtinguendo Auctores unde fuerint collectæ, quod tamen voluiſſe videtur *Drexel. L. III. c.* 6. Quin ergo *potius alphabetico digerentur* libello *proprio*,quemadmodum id ſua-

det *LIPSIUS c.* 12. & *SCHEFFERUS* veteribus factitatum docet, *c.* 12. §. 10. *p.* 151. vel *Commentario*, ad *Calepinum*, v. *KECKERM. conſil. c.* 8. *p.* 16. *fol.* 2. *Fabrum* aut *Forum Romanum* ſuccenturiato. v. *TITIUM p.* 12. *& ſeqq.* cui *Olaus BORRICHIUS*, jam benè multa addidit, edita temporibus diverſis, usque ad litteram C.

Poſſumus etiam *methodice voces colligere*, ut videmus factum in *Onomaſtico Pollucis*, nomenclatore *Junii*, vel diſtributionibus locorum *Sturmii*: v. *KECK. c.* 3. *p.* 7. 8. & *c.* 8. *p.* 16. 6. *BOS.* §. 37. *Iſagog. Rhetor.* Quibus etiam *commentaria* excerpta poterunt jungi.

Quocunque autem ordine voces excerpamus, notari poterunt circa quamlibet ordine omnia, quæ *Caſpar SCIOPPIUS requirit ad perfectum Lexicon epiſt.* 6. ſui *Auctarii ad Grammaticam Philoſophicam* ſub nomine *Mariangeli à Fano Benedicti* editam.

Suffecerit etiam *uno indice complecti omnis generis voces*, v. g. antiquatas, novatas, barbaras, Poëticas, ſuſpectas, &c. modo *ſignis ſecernantur*, ut evitetur multiplicatio excerptorum.

Technicas tamen *voces illius artis*, *cui maxime ſumus operam daturi*, fortaſſe præſtiterit *ſeorſim habere*, *propriis* aut *commentariis excerptis*. Quemadmodum ſane extant ejus generis *indices* v. g. *Theologici*, in clave S. Scripruræ *Flaccii*. Eccleſiaſticarum vocum Gerh. Io. *Titii* Helmſtadienſis Profeſſoris. Juridici, *Calvini* & aliorum. Medici, Bartholomæi *Caſtelli* &c. Chymici, Gulielmi *JOHNSONI*. Philoſophici, *Lud. CASTANÆI diſtinctiones* in 4. & *cum notis Samuelis MARESII*. 8. *Jo. Amos COMENII*,

NII, Rudolphi GOCLENII, Latinè & Græcè ſeorſim in 4. *Joan. MICROELII Lexicon Philoſophicum* in 4. *Henningii VOLCKMARI* 8. *Dictionarium Philoſophicum*, &c. Deniq; *linguas ſecernere* conduxerit imprimis multa excerpturis. Ita *Græcas voces Medicas Johannes GORRÆUS* definitionum Libris XXIV. in Folio Pariſiis editis alphabetice digeſtis publicavit.

VI. *Phraſes & formulas ſingulares ſeorſim* iterum ordine nullo colligere parum profuerit, indice quippe neceſſario addendo. Neque ſuffecerit ſola diſtinctio Auctorum, commendata *LIPSIO Artis Epiſtolicæ c. XII.* quem notat propterea *TITIUS §. 17. p.* 49. Quamvis alias utique *poſſit expedire* plurimum illa *ſeparatio Auctorum* certis caſibus, ut ſupra jam monitum nobis eſt, circa *STARCKIUM*, conſulto Ciceronianas à reliquis formulas Epiſtolares etiam toto volumine ſeparantem. Haud ſecus expediet v. gr. *Concionatori*, ut *Biblicas Phraſes* & formulas habeat ab aliis diſtinctas. Ita *Ciceronianas*, aut *Patrum* phraſes, formulasque, ab aliis ſecernere conducet. Quod tamen non tam excerptis, quam *ſignis* peculiaribus feciſſe ſuffecerit.

Cæteroqui *ordine* utemur (1) Aut *alphabetico*, ad exemplum aut ſupplementum *MANUTII*, in phraſibus toties editis & auctis variè per varios, *Buchlerum, Baxium* &c. *PAREI* in *Calligraphia*, qua latinâ, qua *Græca* : *SCHONSLEDERI* in *apparatu eloquentiæ*, *Nomeſii* in Parnaſſo Poëtico &c. *v. TITIUS, p. 19. §. 2. & 52. §. 18.* (2) Aut *methodico*, ad exemplum vel ſupplementum *Weinrichii*

in Ærario poëtico. (3) omnino vero hic etiam *Commentaria excerpta* erunt præferenda: ut labori parcatur, & copia ſtatim aliena innoteſca .

Cæteroqui *niſi admodum multa excerpturo, non* erunt *multiplicanda corpora excerptorum, diſtinctione Claſſium*, ſive *ſecundum linguas*, ſive ſecundum *qualitates* phraſium: ut ſeparentur v. g. Poëticæ, Hiſtoricæ, Oratoriæ, Philoſophicæ, Aſiaticæ, Laconicæ. &c. Ordinario enim ſuffecerit ſignis hæc diſcriminaſſe. v. *KECK. c. ult. p. 19.* indiſtinctè id conſulentem, *TIT. p. 12. §. 5.* De *technicis* tamen idem quod in vocibus dictum eſt, repetitum volumus.

VII. *Conjunctim voces cum phraſibus & formulis* excerpi poterunt: (1) *Alphabeticè*, vocem principalem reſpiciendo, eique conſtructas reliquas addendo, quemadmodum fecit *Stephanus DOLETUS* in phraſibus LL. nominibus verba Ciceroni juncta, & *Jo. GODESCHALKUS* Obſervationibus ſingularibus L. L. verbis nomina jungenda ſubjiciens ordine alphabetico, quorum utrumque fecit, & Fori Romani abbreviator. *WENDELINUS* in medulla latinitatis. (2) *Methodicè* ſecundum materias, uti *Weinrichius* & *Calviſius* fecere. Quarum *duarum* excerpendi *formarum* liquet *diverſas* plane eſſe *utilitates*. *Illius* quidem ut cujusque vocis multiplicem uſurpationem: *hujus* verò, ut ejusdem rei multiplicem naturam uno in conſpectu habeamus.

Alia aliorum collectanea, quibus commentaria

noſtra

noſtra excerpta circa verborum curam adjungere poſſimus, etiam ſpecialiora, v. gr. Epithetorum, antithetorum, &c. vide laudata in *Diſſertationis noſtræ De Rhetorico ſtudio optimè inſtituendo ſive praxios rhetoricæ parte generali ſect. 6.* hucusque ineditæ quidem, attamen cum auditorum aliquibus jamdudum communicatæ, & cum iis quibus videbitur, ac tandem etiam publica editione cum velentibus cunctis D. V. communicandæ.

Hæc ſufficiant de univerſa excerpendi ratione univerſalia præcepta, pro ea, quam hucusque licuit adhibere nobis induſtria, cura, & experientia, candide minimum, & apertè, liberaliterque, ſin minus alias forte omnia ex voto atque deſiderio communicata. Quibus *requiſitus neceſſariò uſus*, per experientiam, confirmando judicio frequentatus ſuperaccedens, induſtrio & vel mediocriter ingenioſo unicuique, periculum facienti, ſuppeditabit indiès plura, non minus utilia etiam, ad horum analogiam, addendo ſemper aliquid inventis, multiplicanda, & commoditati majori, atque facilitati varianda, ſuoque utentis etiam ſingulari ſcopo, peculiaribusve circumſtantiis, prudentia qua propria, qua aliena porro applicanda.

Quod ut *optime fiat*, cedatque legentibus hæc, & in uſum vertentibus, ſingulis & univerſis, ex animo precor, ad Gloriam DEI PATRIS,

I. N. J. C.

EPI-

EPISTOLA AUCTORIS,

qua

HISTORIA EXCERPTORUM PROPRIORUM partite recenſetur, per annos plusquam XXX. continuatorum;

indicatis maximè *aberrationibus* ſuis variis, ad cautelam majorem & profectum aliorum.

SAne ita eſt, præſtantiſſime Juvenis, ut quemadmodum in alia quævis, ita *in excerpendi arte* quoque vel maxime, obtineat illud antiquum, & verum nimis *Senecæ* dictum: *Longum iter eſt per præcepta, breve per exempla*, Non quod exemplis ſolis quenquam in illius artis ſtudio contentum acquieſcere velimus, ni Empiricum merum agere, atque præſtantiſſima illius parte, quæ in cauſſarum demonſtratione poſita eſt, carere magna ſua cum jactura velit. Sed quod *experientiam ſcientiæ* cuilibet *jungendam*, & illius ope claritatem perſpicuam, atque facilitatem jucundam, cum confirmatione, per cauſſarum hauſtam ex præceptis ſolidam cognitionem, certiſſima, copulandam omnino, ad perfectam ut artis cujusque, ſic excerpendi quoque

que dexteritatem exiſtimem. Unde *meritò deſideras*, *Virorum* aliquot *Doctorum in hoc genere* ſtudii, cum cura præ aliis ſollicita diligenter atq; diu verſatorum, *hiſtoriam* tibi dari; unde univerſalem hujus artis notitiam, inſpectis ſingularibus ejusdem varii ſucceſſus exemplis, ad prudentiæ ſummam exactiſſimam perducas. Enimverò memini me non ſemel tale quid, & hoc & alio, plusquam uno in genere dudum, ſed fruſtra deſideraſſe, imò adhuc deſiderare. Atque ante hoſce XXX. jam annos *in Academia Julia* ſtudiis operam navanti, recordor aliquem non mediocri æris ſumma paratum fuiſſe redimere inſpectionem excerptorum, *celeberrimi* tunc ibidem viventis, & ſcriptis ſuis nunquam intermorituri, dum eruditio aliqua ſuperabit *Hermanni Conringii*: ſed partim deſperatione illud impetrandi, partim aſſeveratione cujusdam deterreri ſe paſſum eſſe illa, quod non tam excerptis (quæ Vir ſummus ille tumultuarie admodum in chartam illineret, & *adverſaria* ſola perpauca) quam memoriæ & judicio, atque librorum copiæ atque notitiæ ſummariæ confideret, ad ea quæ collectaneis niti ampliſſimis viderentur ſcribendo præſtanda. Quod adeo convenire videtur, cum *Stübeliana*, *de Politicis* (ſane potiſſimum apud eum quærendis) *adverſariis Conringianis aſſertione*, nobis *cap.* III. *§.* 4. *n.* 12. ſuperius memorata. Neque ſimilia etiam aliorum vota plurima ſucceſſu alio memini nuncupata.

Et verò, ſi audimus ſummos prudentiæ litterariæ auctores, habemus *cauſſæ* affatim, *cur à communicandis* hac in parte *noſtris laboribus abſtineamus*, ne vel in rapinam, vel contemtum nobis noxium cedant. Vel ſolus ille Clariſſimo *Morhofio* non adductus modo, ſed laudatus etiam *Polyhiſt. lib. 1. XV. pag.* 163. locus quem non afficiat. Is ita habet *Huc pertinet illud* Alexandri Ficheti *præceptum*, in arcan. ſtudiosè method. cap. 10. *Magna arte fama ſuſtinenda, ſervandumq́ʒ arcanum, ſilentiariorum ope Geniorum. Nam etſi ſpecimen eruditionis ſemper ſit dandum in publico, remota ambitione, præſtitaq́ʒ humanitate; illud tamen, quo præſtas aliis, aperiendum non eſt, ne coronam tibi tuam præcipiant, tuisq́ʒ graculorum more plumis ſe conveſtiant. Sit tamen aliquid quo emineas; ſit aliquid, quod ſuggeras & proferas inauditum, parcè & modeſtè, ne prodigas tua, tuisqʒ te ſpolies: ſat eſt, ſi agnoſcant ex ungue Leonem. De Hebraicis, Arabicis, de Jurisprudentia, Medicina, Hiſtoria, & aliis arcanis, ſalis modo inſperſis, quanta lateant, ſuſpicentur. Tu verò & laudibus, & argutis interrogationibus, & blanditiis erue arcana eorum, ſi potes. Sapientiæ genus eſt hoc genus doli boni. Huc etiam pertinet* ARCANUM *illud* MAXIMAM, NE CUIQUAM ADVERSARIA, *notas, & dictata tua pervolvenda permittas: ne cuiquam dixeris, quo ſtudeas modo, qua dicas, aut conſcribas arte, quos habeas ar-*

canos

canos libros. Nam ea, quæ latent, ſuſpicione ſemper & curioſitate inſita mortalibus majoris fiunt. Vidi ego Virum doctum, habitum contemtui, quia feneſtris apertis ſcribebat, habendum alioquin in pretio & admiratione maxima, ſi ſtudendi modum arcani majeſtate obvelaſſet. Hæc Fichetus, *& me quidem judice* RECTE *præcipit. Nam quod de ſcriptis celandis ait, veriſſimum eſt. Ac novi ego, hac ratione viris doctis multos laborum ſuorum periiſſe fructus, cum alii eorum ſylvas pro lubitu cæderent, atque ex parata materia, quæ vellent, ædificarent.* Sed *hæc* uti *famæ*, vel *fami* adeo excerpta ſua *colligentibus*, adornantibus, edentibus, egregiè ſint *conſulta*: ſic unicè *ad Charitatem Chriſtianam*, qua par eſt reſignatione mentis, ab omni lucro & honore temperatæ, cuncta referentibus, ſane *nullo modo ſe probabunt.* Quippe qui, modo proſint aliis, vel ſuo cum dedecore etiam, nedum aliquo lucelli diſpendio, in commune conferent, quidquid inſtructioni atque auxilio eſſe ulli poſſe credant: inſtar fontis nempe cuilibet ſcaturientis, ſive potari exinde velit, ſive ſordibus etiam ſuis, mox ſubſidendo depurandum rivum haud quaquam diu infecturis, lavari. Ego ſane, vel *Te*, una *cum auditoribus meis cunctis*, juxta cum *conſcientia* mea, DEOQUE, *teſtes habeo* idoneos ſatis atque locupletes, *quam nihil* quidquam unquam *meæ ſupellectilis* libraiæ vel *litterariæ* impreſſæ, ſcriptæve, collectæ, ut

excogitatæ *clam habuerim quenquam*, indę quid addiſcere volentem ac valentem. Neque enim domeſticis ſaltim mea patuit bibliotheca ſemper, etiam me per dies, imò hebdomades integras domo, aut urbe adeo abſente: ſed & commodato accipiendi ex iisdem, vel modicè noto copia facta eſt prompta unicuiq; omni tempore. *Collectanea* verò *etiam* mea, vel meditatione propria excogitata, *quantumvis imperfecta*, & ferculorum inſtar in culina etiamnum inconditorum & inordinatorum, ad ſaporem nondum aut aſpectum delicatiorem paulo, æquè ac par erat vel tædii & nauſeæ declinandæ ergo inſtructa, neque tamen eò minus mihi ſæpe labore magno comparata, facillimeque ab aliquo plagiario in ſe transmovenda, non modo *non celavi* unquam, *ſed* & iis, *quibus docendis præfui*, occaſione qualibet *inſpicienda* non rarò *obtruſi*. Certè quoties *collegio privato* ſatis numeroſo, *tertium* adeo repetito, *artem excerpendi propoſui*, non contentus ad calamum dictaſſe præcepta, & declaraſſe per exempla, *mea* quoque ipſius *Excerpta omnibus omnia oſtendi*, & digreſſus, *quamdiu vellent perluſtranda* ſingulis & univerſis *reliqui: non diſſimulatis* etiam *erroribus*, in iisdem à me commiſſis, & ab ipſis, meo diſpendio ut lucrarentur, evitandis. Atque hanc adeo liberalem meam beneficentiam, Deo benigniſſimo hac in parte longe ſublimiori exemplo præeunti, magis quam oppoſitum, occultandi mea, mihique ſer-

ſervandi ſtudium, placuiſſe, cum alias etiam divinioribus longe documentis, tum vel hoc ipſo argumento non contemnendo ſum certior factus, quod tam incuſtodite committenti, tot partim adhuc puerilium, partim alias jure ſuſpectorum moribus, mea tamen in hunc usque diem neque philyra ulla, nedum liber aliquis fuerit ſurreptus.

Nam an aliqui mea mihi relicta pro ſuis memorando, vel exſcribendo jactitaverint, id verò ne per ſomnium quidem mihi cogitatione adeo minima, nedum cura, vel indignatione proſequendum arbitror: qui nihil mallem, quam omnia mea ſub alienis nominibus, poſſe vel æquè ſaltim, vel amplius, ſi fieri queat, etiam publicata prodeſſe. Cui fini plus ſemel aliis obtuli mea, & offero etiamnum, ac offeram occaſione qualibet data: Modo juventur inde alii, an per me, vel alium id faciat Deus, æque gratum, imò ſine mei nominis mentione, ut ab invidia & ſuperbia mihi tutius, ita longe quoque gratius habiturus. Abs ita jam animato, vide, num fruſtra te petiturum vereri debeas, ut *hiſtoriam Excerptorum meorum continua ſerie, non diſſimulato* ſucceſſuum ſiniſtrorum, aut potius *errorum* in illis commiſſorum *ullo*, pertextam, aliorum atq; Tuæ in poſterum cautelæ ingenuè *deſcribam*. Profectò jam antè id feciſſem, ac lubens, ſi antè id à me petiviſſes.

Nunc verò faciam etiam eo libentius, atque

locu-

locupletius, quod in ipſo recenſendo *de Arte Excerpendi* libello meo, ad editionem publicam deſtinato, nunc verſans, video illius *præcepta univerſalia* plurima *inde* poſſe multum *illuſtrari*. Dum obſtacula & impedimenta, ex obſcuritate minutiarum aliquarum, ut operoſam, & difficilem nimis expreſſionem univerſalem, ita perceptionem ſine applicatione ad exempla etiam ancipitem habentiũ, reſidua, non aliter magis quam exemplo, alicujus errata in quoque genere ſua ingenuo candore profitentis, tolli poſſe videntur. Quo minus proinde parcam hic pudori meo, nihil quidquam eorum, quæ aberranti mihi nocuere, ne aliis ſimiliter noceant, diſſimulaturus. Imò hæc potius illic in artis præceptis ob infinitatem ſuam omiſſa pleraque, quam commoda & virtutes, univerſim ſatis jam in arte ipſa commendatas, hic deſcriptione partita proſecuturus.

1. Itaq; ut â *prima ordiar pueritia*: ſcito me vix *octavum annum agentem*, eo jam excerpendi ardore quaſi naturali ſtimulatum fuiſſe, ut nemine auctore, ſponte mea PRECATIONES ex libris etiam â nutrice mea mutuo petitis, *ad alphabeti ſeriem* ordinatas exſcriberem. Vide annon hic inſtinctus jam tum ad uſus admodum egregios potuiſſet, directa judicio aliquo maturo puerili ſedulitate, converti? Quod tamen quo minus factum ſit, neq; Parentis mei piæ memoriæ laudatiſſimi, atque hac in parte nihil neglecturi, neque præceptorum culpæ, ſed meæ qua indu-

induſtriam hanc ipſis occultabam, imprudentiæ habeo imputandum. Itaque puero nihil excerpendum in ſcholis quidquam eſt datum, niſi quod phraſes, uti vocant, præcipuas latinas, atq; voces Græcas, ea qua ſeſe tractantibus auctores bonos feriè offerebant, enotare jubebar, relegendas deinde ſæpius, ut memoriæ infigerentur, non vero unquam ordinandas, ut excerptorum aliquo volumine aſſervarentur. Poſtquam autem vere *Anno* ſalutis reparatæ 1656. *ætatis* verò meæ *decimo quarto*, Hamburgenſi Gymnaſio adſcriptus, libertatem aliquam meo genio in ſtudiis verſandi majorem ſum adeptus: erupit illico presſus hucusq; Excerpendi nativus inſtinctus, inſtar ignis tanto violentia majori flammam eructantis, quanto contra naturalem impetus ſui agitationem diutius olim arctiusque incluſus, in liberiorem tandem auram eluctans, cum fumo flammam & ſcintillas latius ſpargit. Quamvis enim primo etiamnum ſemeſtri, vivo beato parente, ac præceptore privato bis hebdomade qualibet ad nos viſente, atque rationem ſtudiorum exigente, cogerer horas publicarum lectionum quotidie quinas, & privatas inſuper aliquot aſſiduo frequentare, quodq; ſupererat ſtylo exercendo, ediſcendis aliquibus &c. impendere: tamen ipſa illa æſtate adhuc ordiebar *Excerpta* varia- 2.
rum TABELLARUM GENEALOGICARUM, qua *hiſtoricarum* ex libris variis, qua *Mythologicarum*, ſive fabuloſarum *ex Natali Comite* collectarum. *Haſce* quidem *verſioni Scholia-*

ſtæ

ſtæ Græci, quam tunc *in Homerica Iliados libros priores duos* adornabam: *illas* verò *Univerſali Hiſtoriæ, quam* tunc Profeſſor Hiſtoriarum Celeberrimus *Petrus Lambecius prælegebat*, apponendas. Quarum ut aliquæ ſervantur mihi etiamnum, ita nonnullæ, jam aliis elaboratæ auctoribus, editæque, vel minus mihimet accuratæ viſæ, abolitæ deinde fuerunt.

Poſtquam verò ſub autumnum illius anni, ſubſecuta mors præmatura beati parentis, & hinc præceptoris privati remotio, plenam mihi libertatem conceſſit, *lecta Drexelii aurifodina*, & *conſulto Dno. Michaele Kirſtenio*, Matheſeos tunc Profeſſore publico, qui cum fratre meo me una bis ſingulis hebdomadibus hora integra in ſtylo ſoluto, ligatoque, vere A. C. 1667. admittebat erudiendos, atque ſpe tradendi de optima excerpendi ratione præcepta peculiaria, mirum in modum exhilaraverat, ægrè mihi à multis excerpendi propoſitis voluminibus, & argumentis temperabam, in chartas interim ſparſa, futuro theſauro præcipua nonnulla collegiſſe contentus. Donec impatiens dilationum, quibus diem de die trahebat, immaturitatem judicii meam prudenter conſiderans D. Kirſtenius, auſu meo, nihil ipſi aut cuiquam ea de re ſignificans, adornare cœpi *Vo-*
3. *lumen* vaſtum *Alphabeticum in quarta*, uti vocant, *forma*, SENTENTIARUM & EXEMPLORUM, quibus *Langii Florilegium* mihi ſufficere

ficere non videbatur, colligendæ farragini. Ubi ſtatim in eo *peccabam*, quod ad inſtar Langii *ſententiis exempla jungens*, folio ad dimidium complicato, interiori cuique dimidiæ paginæ ſententias, exteriori vero exempla, titulis vel pagina una ſingulis, vel binis, prouti fertiliores aut ſteriliores fore præſumebantur, collocatis ſubſcriberem. Unde ſtatim impari copia, modo ſententiarum, modo exemplorum oborta, exemplis quandoq; deficientibus, quandoque titulorum numero molem ſententiarum indiſtinctim & promiſcuè congeſtarum valde ſuperantibus, relinquebatur vacuum communis tituli parte paginarum altera ſæpe aliquot foliorum. Præterquam quod *puerili judicio titulos* exemplorum *formans*, & *inania*, nec niſi chriis conſcribendis, & effarciendus apta colligens, operam totam ludebam. *Sententias* etiam *magna copia*, nullo diſcrimine facto congerens, ex iisdem ex quibus Langius auctoribus, multa cum illo communia, certe cuncta *tædioſæ* quoties aliquid uſurpandum erat, *inquiſitioni* cumulata: maxime poſtquam annorum aliquot ſpatio, & moles & numerus titulorum iisque ſubnotatorum adauctus, & memoria localis, ante ſubſidio magno eſſe ſolita, tum aliorum ſtudiorum, & excerptorum majoris momenti acceſſione labefactata, repetendi facilitatem etiam priſtinam totam evertebat. Unde pœnitudo

& nau-

& nauſea hujus maſſæ tam inutilis, quid mirum, ſi demum eſt oborta. Quam tamen quomodo uſui etiam alicui deinde:, ſelectu facto, non amplius pœnitendo, adhibuerim, deinceps *num.*, *&* ad id temporis ubi narratio mea pervenerit, edocebo. Nunc illius anni & intercedentium collectanea prius abſolvam. Eadem ergo etiam adhuc ni fallor æſtate, nondum exeunte, cum ad Collegium laudati modo *P. Lambecii* privatum
4 invitarer, quo CLUVERII GEOGRAPHIA TABULIS compræhenſa proponeretur, atq; audirem non niſi quatuor imperialibus menſtruis licere illi Collegio intereſſe, hoc ab iis qui jam aliquandiu eidem interfuerant impetravi, ut tabellam unam alteramve mihi exhiberent à Domino Lambecio confectam. Quâ conſpecta, illico ſimilem unam alteramque mihi elaboratam, ad ſtuporem eorum, à quibus hoc arcanum acceperam communicatum, ipſis mõſtratam, nec a ſuis multum abludentem exhibui: indeque per totam Cluverii Geographicam continuatas magno ardore paucis menſibus abſolvi. Quas verò, cum ipſe Lambecius ſuas etiam accuratiores, & acceſſionibus, aliunde quam ex Cluverio excerptis, aliquibus paucis auctiores, poſtea A. 1660 publicaret, aſſervandas amplius non duxi. Tandem Anno ſequente 1668. ineunte, flagitatione improba à *Dno. Kirſtenio* obtinui, ut donec
v. amplius quid excerpendum moneret, ELOGIA SCRIPTORUM, (quorum notitia me ſummo-

pere

pere flagrare videbat, adeo ut publicam bibliothecam, quod ad Philoſophicos libros & hiſtoricos, deſcriptam non modo indicibus, ad materiarum ordinem ibi aſſervatis, ſed memoria, uti vocant, locali complexam haberem, ſingulis etiam ad unum manu mea verſatis, *ordine adverſario* enotare permitteret, libello *in Octava forma* tantum ad id conſuto: ſed quem *biennio poſt* increſcentem, in *formam quartam*, partim deſcribendo, partim agglutinando ab alterutra ſola parte repleta, partim interponendo utrinque plena folia redegi. Eodem anno JUNGIANAM LOGICAM TABULIS, etiamnum uſui memoriæ meæ, magis indies fatiſcentis, optimè inſervientibus delineavi. Deinde PHRASES colligere VI.
cœpi, *ordine adverſario primum*, & quidem *ſeparando Poëticas* ab *Oratoriis* reliquis peculiari volumine, ſed quas deinde, viſo incommodo hujus ſeparationis, quando ad Orationem ſolutam non rarò excerptis ex Poëta, & vice verſa in carmine excerptis ſolutæ orationis indigebam, mox anno ſequente *in unum contraxi volumen*, contentus ex adſcriptis cuique phraſi auctoribus, diſcrimen hoc intelligere. Quin & offenſus ea diſtractione, quod ſimul uſurpanda tam diverſis locis erant quærenda, IN ORDINEM WEINRICHIANI ÆRARII POËTICI, anno ſequente cuncta redegi: *deſcriptis* mihi *capitibus*, *quibus ipſe* diviſas & ſubdiviſas *materias erat complexus*, ut memoriæ locali ſervirent, etiam citra indicis alpha- 7. 8. IX.

N betici

betici uſurpationem, quoties i. e. primis tota materia quæpiam potius, quam unus aliquis titulus ſingularis inquirendus eſſet. Ita expedite noveram mox, aut certè primo intuitu lemmatum videbam, quibus paginis v. gr. de morbis, virtute, agricultura, hortis, prœlio, &c. ageretur. Interim tamen *indicem* nihilominus *Weinrichii alphabeticum* diſſutum, *chartæ interjecta* etiam diſtinctum, denuo compactum, *ad inſcribendos novos titulos*, quibus eum augendum videbam, & partim jam adauxeram, plurimos, prompteq; vel aliis intento reperiendos, ad manum habebam. Quas verò *ipſi ejus operi* etiam, in bina volumina diviſo *chartas interjeceram*, loca auctorum iis quæ ipſe jam collegerat recepturus, mox pertæſus inquiſitionis duplicis, & contentus mihi noviſſe quæ alias lecta in illo recurrebant evolventi, rurſus *abolevi*. Contentus *duo in quarto volumina*, facundiæ latinæ potiſſimum ſolutæ, interſperſis tantum Poëticis rarioribus, & Græcis præplacentibus deſtinaſſe ita, ut numeros ejusdem paginæ, prout mihi videretur, vel repeterem, vel aliquos nominibus propriis deſtinatos plane omitterem, reliquis non eo minus indici meo manſuris: quorum ea quæ plusculis foliis excreſcebant, addita littera a. b. c. &c; facilioris inventionis ergo diſtinguebam. Proderatque mihi non parum, quod volumiua mea *ruditer* ipſe *compacta* ſolum, adeoque injectioni quoties opus erat oportuna, nec ulla bibliopegica arte colligata, nullo glutine coadunata retinueram.

Unde

Unde pro arbitrio etiam ſæpe translocare titulos, & mutare, dividendo, contrahendoque licebat. In hac collectione *ad ſextum usq; annum*, quotidie ferme, ac plerumque horis pluribus, legendo bonos auctores continuans, ſedulo ſum verſatus, eandemque poſt etiam intermiſſam aliquot annorum ſpatio, propter peregrinationes, ex juvenili potius impetu & more, quam uſu meo, cum jactura non tantum æris, ſed magis etiam temporis atque valetudinis diutius continuatas, reſumſi aliquoties, jam domum reverſus, ſed brevioribus rarioribusq; intervallis, eo quod meliorbus ſtudiis, & occupationibus gravioribus mox inde retraheret. Atque tamen penus hac ratione coaluit mihi non pœnitenda: & quæ accedente diligentioris unius vel ſolius, aut cum altero ſociati juvenis, biennio ad ſummum, induſtria modica, poſſet in *Encyclopædiam abſolutam* evadere, quæ *cujusvis materiæ, phraſes latinas*, ad uſum eleganter atque copioſè, cuncta etiam rariſſima exprimendi promptiſſimum, exhiberet. Inprimis ſi, quemadmodum poſterioribus annis judicio matureſcente feci, non *proletaria* neq; vulgata quæque, facile *ex Schönſledero, Pareo, Nomeſio*, aliisq; ſupplenda, ſed ſelectiora nec obvia paſſim colligerentur ſola, reliquis deinde, quantum opus, ad plenitudinem & publicum uſum, ubi prelo deſtinetur hic theſaurus, interponendis. Ita diviſis laboribus, poſſet *Juris ſtudioſus*, *Digeſtis* perluſtratis, ex quibus Valla vel ſolis etiam deperditam linguam lati-

nam reſtaurari poſſe cenſuit, Juridicas locutiones, de contractuum & negotiorum generibus ſingulis proprias, paucis menſibus colligeret. *Medicus ex Celſo*, Morborum, & curationum, atq; ſymptomatum peculiares, maxima parte mihi, etiam fraternis hic adverſariis in mea collectanea relatis, jam collectas inveniet, ex reliquis veterum medicorum reſiduis paucis libellis locupletandas. *Theologus ex* lacteæ facundiæ *Lactantio*, ſimilibusq;, ſuo inſtituto ſervientia ſi ſuperadderet, factâ in commune collatione, deinde omnes ditati forent. Atq; ita ſi quilibet tantum aliquos etiam antiquarios evolvendo, inde collecta eidem rariora excerperet: inde quod reſtaret omne, poſſet intra vertentis anni ſpatium à tribus ipſis exhauriri. v. gr. dum eligeret unus *de re veſtiaria Ferrarium*, & *Rubenium*, de *ſervis Pignorium*, de *re navali Bayſium*, de *vehiculari Schefferum*, de *Funeribus Kirchmannum*, & cœteros ad rem domeſticam pertinentes. Alter de *re culinaria Apicium*, de re *ruſtica* conjunctim editos *Catonem*, *Varronem*, *Palladium*, in Stephani prædio ruſtico jam bonam partem ut compendio exhibitos, ſimilesque. Tertius de *Militia Romana* Lipſium, deque aliis publicis *Roſinum*, atque *Dempſterum*, aliosque publici argumenti Scriptores, obiter ſaltim ad dictiones excerpta capita una cum citatis ibidem auctoribus enotando perceperet. Demum unus *Grammaticos*, alter *Rhetores antiquos* junctim edi-

editos, vel ſaltim *Voſſii Grammaticam*, *partitiones*, & *Rhetoricas inſtitutiones*, farraginem inde jam Excerptorum exhibentes, tertius *Logicos* & *Philoſophicos Ciceronis libros*, & ita porrò quidquid amplius exigi poſſet, partita inter ſe opera excerpendo conferrent. Quo ſane pacto, & præſenti ſuo uſui ſane permultum, & futuro etiam ſeræ poſteritatis adeo conſulere poſſent, atque lenire deſiderium, & explere ſpem fruſtratam, tot auctorum promiſſis hujus argumenti. Quos inter & *Starkius*, ſub finem Epiſtolici ſui Theſauri longè utiliſſimi, *Technologiam Phraſeologicam* pollicendo, aliud ſane non voluiſſe æſtimandus eſt. Neque laudati tantopere Gaſpari *Scioppio*, (ſub nomine *Mariangeli à Fano S. Benedicti*, auctario Grammatices philoſophicæ, argumenti VI. pag. m. 40. & 41.) *Joh. Bapt. Donii Florentini Hermathenas*, *XX. libris*, *quibus continebatur ipſarum rerum deſcriptio*, *quæ ſuis appellationibus inſigniantur*, *iisq́; tam verbis*, *quam nominibus*, optato illi fruſtra Pontificis & Cardinalis Barbarini auſpicio & munificentia excidiſſe ſit dolendum. Qua ſane nec opus habere videtur opus tam vendibile futurum, ut ſi fami aut lucro ſcriberem, aliud nullum præ manibus mihi capiendum æque cenſerem. Quod ſi ſemel tale quid lucem publicam aſpexiſſet, non dubitandum, quin æque ac Ambroſii Comitis de Calepio, hinc Calepini vulgo dicti, in agro Bergomati filius, familiæ

Auguſtinianæ Monachus, in edito primum tenui ſuo Lexico, & Faber in theſauro ſcholaſtico, ſatis initio paupere, ſunt experti, ut aceeſſionibus ſubinde novis ditati, nunc ſeculum omne laturi videantur: ita & huic non minus utili copiæ, ſui ſint præſto futuri ſubinde notabilium incrementorum ad novam editionem quamque auctores. Quod ut optem, in uſum reipublicæ litterariæ maxime, ita mea, unicuique ad id conſilium exequendum tendenti offero ac lubens. Sed ad anteriora futurorum in admodum incertis votis poſitorum nimis diu protenſus, ad ea quæ promiſeram, de præteritis enarranda meis, tandem revertor. Itaque hoc anno *acceptis à Dno. Kirſtenio* tandem paucis *dictatis de ratione excerpendi præceptis*, ea in uſum verſurus,
10. primum EXEMPLORUM VOLUMEN *ſeparatum* collegi *adverſarium*, ſed una *cum prioris antea n. 3. memorati parte* conſimili, *in ſcrinium litteratum*, rejectis pluribus, ob judicii
11. immaturitatem inutilibus, *relatum*. HOMONYMORUM etiam *volumen Alphabeticum*, ſolutum primo, dein conſutum incœpi: ſed quod *tenue* manſit admodum: quia poſtea Methodicis Philoſophiæ, vel Commentariis Excerptis, ea quæ huc pertinebant mihi colli-
12. genda, pleraq; exhauriebantur. De HISTORIA etiam LITTERARIA, quædam congeſſi, aliquot *Orationibus* elaboratis, & a Dno. *Kirſtenio* etiam *emendatis*, ſerie temporum peregrina-

tio-

tiones ſtudiorum, & bonarum artium delineantia. Quibus deinde, in chartis interjectis, aut aſſutis, alia occurrentia ejusdem argumenti annotabam. Sed quæ non adeo multum excrevere, ob particulares dein præcipuarum mihi demandatarum ſcientiarum, Philoſophiæ Practicæ, & Rhetoricæ, hiſtorias ſeorſim elaboratas, quibus huc pertinentia mihi notata meliora quæque ſunt inſerta. Cumque forte mihi animi gratia perluſtranti vitas auctorum, & conjunctim editas de ſtudiis inſtituendis apud Batavos binis Voluminibus diſſertationes, quorum alterum H. Grotii, alterum G. J. Voſſii ſplendidiſſima
nomina præferebat, JUVENILIA multa SCRI- 13.
PTA occurrerent, ea πρὸς τὸ παραζηλῶσαι me, ſane non mediocriter jam tunc ambitioſum, in peculiarem indicem digerebam, etiam à me adhuc juvene, ut ſperabam edendum. Sed quod conſilium una cum ambitione, per Dei gratiam morbis, tunc quando fervebat maxime, oportuno Dei beneficio, vehementiſſimis, atque creberrimis, & tandem continuis repreſſa, irritum eſt factum.
Quemadmodum & *de* MULIE- 14.
BRIBUS SCRIPTIS tunc *annotata alphabetica* in ſchedis aliqua, poſtquam id argumentum aliis jam pertractatum poſtea cognovi, *penè deſerui*, paucis quandoque adhuc forte oblatis rarioribus ſolis appoſitis. Præcipue poſtquam Amicum meum ſingularem *V. Cl. Dr. Ottonem Sperlingium*, ex profeſſo in hoc argumento verſari co-

gnovi, cui mea qualiacunq; ut & alia officiorum genera pro virili omnia, ſicut debeo parata ſervo.

Sequenti anno 1659. ineunte ſtatim, videns præter phraſes atque dictiones, etiam prodeſſe certas loquendi formulas ab iisdem habere diſtinctas, ac planè tota ſua natura & ratione diverſas. v. gr. petentis, abominantis, admirantis, affirmantis, approbantis, argumentantis, attentionem petentis &c. quæ ſub ipſis ſynonymorum titulis, abominor, admiror, affirmo, & non æquè rectè, vel mixtim vel ſeorſim collocarentur ſemper:
XV. *Adverſarium volumen* primò *in octava*, ſed ubi accreverat, etiam *in quartam mutata forma* concepi, talium LOQUENDI FORMULARUM *bipartitum*: ita ut *altera pars* familiaris Colloquii, altera reliquas philoſophicas Oratoriasque locutiones contineret, indice tamen communi, & volumine unico retento. Ad-
XVI. didi dein AD STARCKII THESAURUM EPISTOLAREM *commentaria*, in *chartis interjectis*, & *ſubjectis* aliis *compacto volumini*, quarum illæ titulis ibi extantibus, hæ novis adverſario ordine ſubjungendo inſervirent. Alphabeticis æquè ac ordinatis ejus *indicibus binis in unum contractis*, & *auctis*, inſertoque Epiſtolarum Ciceronis, & Plinii, ac aliquot Recentiorum indicibus, ſecundum argumenta quæ tractabant Confectis. Ut quoties E. gr. Epiſtolam Commendatitiam, conſolatoriam, Officioſam,

Mixtam,

Mixtam &c. compoſiturus eſſem, etiam integras id genus Epiſtolas optimorum auctorum, qua Veterum, qua Recentiorum aliquas, ante relegens, eo me inſtructiorem imitationi alicui paratioremque efficerem. Quod adeo ipſum & tibi, ut noſti, & aliis poſtea commendare non neglexi. Adhibui autem *editionem in 4. primam* potius, quam inſecutas poſtmodum in 8vo, majori licet, attamen huic uſui minus ſpatioſas. Atque hæc quidem ea ſunt, quæ domo præmature dimiſſus, hoc vere, vix duodeviceſimum ætatis annum ingreſſus, in Academiam Juliam mecum abſtuli excerpta. Ibi verò agens annuo ſpatio plura etiam alia inſtitui nova. Nimirum ADDITAMENTA AD VORSTIUM, DE XVII. LATINITATE FALSO SUSPECTA, & quidem *editionis primæ*, multo quam inſecuta deinde 1665. altera triplo auctior, ſterilioris. Cui *poſteriori*, domum ex peregrinationibus reverſus, in *chartis interjectis* partim & *ſubjunctis*, *compacto volumine*, *commentariorum inſtar* mea, ſeorſim ante collecta copulavi A. 1668. & ſequentibus adauxi, *Auctoriq;* id petenti per litteras Berolino A. 1676. Kal. Januarii ad me ob id ſolum datas, *ad novam editionem* etiam *obtuli*, additis generalibus per Epiſtolam monitis, quæ obſervans, ex Foro Romano certa vocabula, cognatam linguæ noſtræ uſurpationem admittentia, nec non ex aliis libellis extantibus, cumulatim liceret invenire additamenta multo

etiam meis locupletiora, quæ tamen ipſa centuriam ſuperabant. Sed ut alias in ſimilibus, ita & hic mea cum aliis communicandi promptiſſima ſemper exiſtens, & in poſterum extitura facilitas, fuit infelix. Dum Epiſtola mea decumbenti ex morbo lethali, quo poſt octiduum etiam extinctus eſt, reddita, fructu ſibi deſtinato prorſus excidit, nec unquam bibliopolarum hoc opuſculum recudentium quisquam, me de conſilio ſuo certiorem deinde fecit, ut locupletior libellus tam utilis prodiret. Interim ego mea mihi ſervo, interdum licet nunc rarius, auctoribus bonis inſpiciendis, nedum excerpendis vacanti, occaſione data etiam aliquibus acceſſiunculis ditanda, & cum auditoribus meis, uti jam pluribus feci, ſic in poſterum quibus ea deſcribere placuerit, citra invidiam ullam aut lucri præſtolationem communicanda. Circa idem
18. tempus etiam INDICULUM *alphabeticum* CRITICUM inſcriptum, *in 4.* cœpi conficere, *circa Orthographicam* præcipuè *vocum latinarum* variam, ejusque rationes potiſſimas obſervandas: ſed quem deinde *non continuavi*, ac tandem *abolitis plerisq;*, pauca quædam in VO-
XIX. CUM RARIORUM *alphabeticum in 4.* INDICEM alium, ſimul inchoatum, tranſcripſi. Quem & ipſum poſtea reformavi ratione peculiari, quam utiliſſimam tibi, & juvenibus peregrinantibus omnibus futuram explicatius paulò deſcribendam puto. Nempe cum *Calepini*

Vaſtum

Vaſtum volumen evolvendum, & ad manus habendum, nedum peregrinanti circumferendum tœdio eſſet, atque incommodo non exiguo: percurrere illius voces omnes lectione ſubitanea, ſine mentione ulla eorum, quæ voci cuique annotata erant à Calepino teſtimonia, vel alia quæque anagnoſten mihi juſſi, & quoties vox rarior, ac uſui præprimis apta occurrebat, eam plumbagine ſubduci, maxime ſi auctoritate adſcriptâ, quæ hoc demum caſu etiam prælegebatur, arrideret. Eas deinde *voces* ita *notatas exſcribere* illum juſſi, & quidem *in librum conſutum in forma quarta*, appoſita *initiali* ſola *littera*, *auctorem* quo niteretur ea vox *ſignificante*: idque *folio perplicaturam infracto ad medium*, *ut* in eo vacuo ſpatio *enotarentur voces aliæ*, à me obſervatæ, à *Calepino omiſſæ*. Quod ipſum ſpatium alicubi ſufficere non poſſe dein, aucta additorum meorum copia, expertus, etiam *interjecta charta* ſolutum librum conſui rurſus feci, neque non *adjungi* etiam *folia plusſcula in calce*, quibus *ordine adverſario voces* eæ inſcriberentur, *ad quas prolixiora* erant *allegata*, vel obſervata, quam indici tam arcto conveniret, adjicienda: ſola voce in illum relata, cum numero ſuo ex adverſarii hujus ſuccenturiati numeris, ſingulas ejusdem voces diſtinguentibus, apponendo. Hic adeo index multam mihi præſtitit, ac etiamnum præſtat utilitatem. In primis *ſignis additis*, quæ *voces ſecernant*

nant antiquatas,novatas, Poëticas,Græcas,barbaras, ſuſpectas,notatas aliis partim,& *vindicatas* iterum, alibve diſcrimine notabili, obſervatu præ aliis dignas,qua ſeparatas, qua conſtructas. Quamvis huic poſteriori generi, nempe
xx. NOTATARUM & VINDICATARUM VO-
xxi. CUM, etiam peculiaria *duo* excerptorum *commentariorum volumina* poſtea confecerim. Alterum *Vorſtii de meritò ſuſpecta latinitate* in 8. *chartis interjectis*, & *ad calcem additis*, alterum *Borrichii Cogitationibus de Lingua Latina* in 4. ſimilem in modum applicatum. Horum *prius*, præcipue *phraſibus*, *poſterius vocibus* magis ſejunctis deſtinatum, *indiculo præfixo ex Voſſii de Vitiis latini ſermonis* extracto, barbaras vel *improbatas*: reliquo corpore vindicatas complectitur. Quarum etiam eæ, quæ *priori* ſint *indiculo inſertæ, ſubducta linea* ſtatim *quod vindicatis* etiam *interſint oſtendunt, auctoribus* iterum *initiali litteris*, & *paginarum numero* pariter *deſignatis*. Quin & fruſtra *in aliis indicibus* quæſitæ, *nec repertæ* voces, eorum in quibus ſunt quæſitæ fruſtra,nomen *initiali litera parentheſi* quaſi abſciſſionem ejus in illis auctoribus factam notante, *incluſa* junctum habent. v. gr. (f) denotat in Fabri Theſauro vocem illam fruſtra quæſitam.(m) in Martinii Lexico Etymologico &c. Credo te facile agnoſcere indicum horum utilitatem, puro ſermoni ſtudentibus: neque non commoditatem illius è Calepino

factæ enotationis. Nam ſimulatque vox mihi aliqua inſolita vel rara videtur, eam ſi ſit in Calepino enotatam in meo mihi (καὶ ἄνθρωπον) confecto indice inde excerpto rariorum extare debere, certus eſſe poſſum, adeoque parvo illo ad manum poſito excerptorum codicillo, vaſta voluminis majoris mole tractanda ſuperſedere: promptiori quoq; longè inventione, per coadunationem vocum rariorum, uno intuitu, ſemotis allegatis, ſeſe conſpectui exhibentium effecta. Quod ſane mihi memoria tum alias, tum in ſcriptione, attentionem ad materiam, illa magis dignam, plerumque diſtrahente, parum fida, tum animo omnis moræ inter concipiendum, & cum feſtinatione, mentis agilitatem ægrè ſcribendo ſubſequente, mea elaborandum, maximè impatienti, percommodum accidere ſolet. Verum καὶ ταῦτα δὴ μὲν ταῦτα. Reſtant alia majoris etiam longe momenti futura Excerpta commemoranda. Quibus ne nimis te levioribus ante fatigatum accipiam, verbo tantum ADDITAMENTA DRAUDII BIBLIOTHECÆ CLAS- XXII.
SICÆ *adverſario volumine* ſuccenturiata, *poſtmodum* verò LIPENIANIS BIBLIOTHECIS prodeuntibus *accommodata*: nunc jungo. *Job. Jacobi* FRISII verò BIBLIOTHECÆ AUCTO- 23.
RUM CLASSICÆ *adjecta* etiam ſilentio pene prætereo, utpote poſtmodum *deſerta*. Circa MYTHOLOGIAM etiam NATALIS COMI- 24.
TIS *augendam*, quid tentaverim, pene piget enar-

enarrare: cum deſertus & merito, interque pœnitendos maximè labor hic *derelictus* mihi reputetur. Nimirum ejus *auctoris Capita ſingula diviſeram in* ſuas *ſectiones*, *lemmatis* peculiaribus argumentum ejus repræſentantibus *donatas*. *v. gr.* ut breviſſimum unum exhibeam, *lib.* 2. *cap.* III. *De cœlo*, ejus erat lemma I. *De nomine parentibusq;*. II. *Uxore & liberis*, III. *Caſtratione*, *& natis inde Furiis*. Ad hæc deinde *auctoris interpretationes* iterum, *appoſitis numeris*, quorum contenta interpretabantur, *referebam*. *Unicuiq;* autem horum *lemmatum*, *paginam in Commentarii Volumine* meo *aſſignans*, quidquid ejus argumenti reperiebam, annotare aliquandiu continuabam, donec mox melioribus me dedens, hiſce vacare amplius non ſuſtinerem. Interim & partitiones haſce, & cœpta collectanea etiam aſſervo, diligentiæ juvenilis monumenta, ſeu alienæ continuationis futura rudimenta. Dum etiam ita Natalem Comitem perlego, lemmatibus ſuis inſigniendum, ecce alium juxta adhuc laborem non vulgarem
xxv. exhauſtum. Quando GENEALOGIAS DEORUM omnium unica TABULA, ſatis vaſta, *conglutinatis foliis* chartaceis *expanſis quatuor*, uno conſpectu, catenata ſerie conjugiorum, & progenierum, exhibui, minuta ſcriptura, & adeo compreſſa, ut typo diſtincto vix totidem foliis repræſentanda videatur. In eadem Academia
26. Julia etiam PRACTICÆ PHILOSOEHIÆ *prima* ſum exorſus *excerpta*, *Keckermanni M. thodo*

utens,

utens, cujus & compendia multum præter Ariſtotelem continere videbam: quem ipſum jam tum perlegeram quod ad Nicomachia, & Politica, junctâ, his Feldeni Analyſi, & Piccarti commentario, cum Paraphraſi Feldeni, & Conringiana introductione notisq; : illis vero Magiro, Perionio, Strigelio, & Paraphraſi Andronici Rhodii putata, & introductione Racheliana, Zvvingeriq; tabulis, & Lambini inſuper notis. Et hæc quidem excerpta congeſta, *ſolutis*, in *forma quartâ chartis*, ad eam *intra triennium* increſcebant *molem*, ut *peculiarem ciſtam* requirerent, ac uſui mox *ob* id ipſum æque, ac *confuſionem* ſuam, *inepta* redderentur. Unde neceſſario de reformandis illis cogitare cœpi. Quod tamen anno 1667. demum eſt effectum, quando reverſus domum, Philoſophiæ Practicæ methodum eam ad inſtar medicinæ, quam Typus Acceſſionum moralium & Germanicum Ethices breviarium exhibent editam, judicio ad id non ante ſatis confirmato, inſiſtere cœpi. Qua & hucusque rectiorem non inveni, nec inventum iri credo. Atq; hæc eo anno Helmſtadi, Pennaliſmum, uti vocabatur, ſuſtinens, concinnavi excerpta, cum uno etiam, quod ut abolitum, ita omiſſum etiam pene nunc (citra magnam hiſtoriæ hujus noxam credo) fuiſſet: ÆTATIS nempe HUMANÆ HISTORIA, qua quid anniculis, bimulis, trimulis, &c. quid quoque anno, vel leges, vel mores gentium, vel eventus notabiliores hiſtoriæ civilis, naturalis, aut alterius adicripſiſ- 27.

pſiſſent, *folio, cuiq; anno* vel *uno vel pluribus dicatis*, in *faſciculum* congeſſeram. Quod *omne* dein una cum aliis, parte ſui maxima ſine judicio congeſta *purgatum*, *in ſcrinium literatum eſt appenſum*. Ibidem etiam adhuc anno 1660.
XXIIX. ineunte, AD SACRAS LITTERAS, *imitatione bibliorum numeratorum Dorſchei*, volumen collectaneorum *in 4.* inchoavi, *ſingulis capitibus folii complicati partem quartam* aſſignans, quo repleto, quod accederet, *vacuis in calce chartis*, *adverſario* dein *ordine*, per *numerum paginarum diſtinguendo* annotans &c. In quem & ſeparatim ab hoc volumine collecta, in foliis peculiaribus aſſuendis aliis; redigerentur.

Helmſtadio in prædium Neukirchianum Affinis mei honoratiſſimi celeberrimique ſcriptis & geſtis Dn. *Joannis à Felden* delatus, eodem
XXIX. dictante, PROPOSITIONES EX TACITO
XXX. POLITICAS, & MILITARES, ſingulis *adverſariis voluminibus*, per aliquot ejus libros continuatas excepi, ac ipſe poſtmodum Lipſiam anno proximo delatus, abſolvi. Aliis etiam
XXXI. ALIOS AUCTORUM PROPOSITIONIBUS enotandis quibuscunque, *ad monitum Ariſtotelis diviſum volumen adverſarium quadripartitum*, Politicis, Phyſicis, Logicisque, interna hic ab externis Logicis ſeparando, cogitationi, & ſignificanti eadem orationi, diſtinctum volumen tribuendo concepi. Sed quæ mox *in unum*

omnia

omnia contraxi, ob diſtractionem, & enotanti, & inquirenti nimiam inde oborientem, quod eadem excerpta, nedum tituli iidem, ſæpe quatuor omnibus voluminibus poterant adaptari, tum qua ſermonem ſimul ac cogitationem, tum qua naturam ſimul & mores afficiebant: *Indice* jam alias non niſi *unico*, diviſis etiam voluminibus inſerviente, adeoque conjunctione in proclivi admodum relicta. Ibidem INDICEM 32.
ETYMOLOGICUM *alphabeticum*, foliis ſeparatis *in 4*, concipiebam, poſtmodum *Indici vocum variorum*, ejectis minus utilibus, quod ad ſelecta meliora, compendioſius *inſertum*. Similiter ANTIQUITATUM *adverſaria* peculiaria, 33.
etiam aliquandiu ſeparatim habita, ut & EXEMPLORUM PRACTICA collectanea, propoſi- 34.
tionibus ſingulis univerſalibus, inductionis inſtar, *ut in Richteri axiomatibus* SERVITURA, poſtmodum *in volumen Excerptorum*, & *inde in ſcrinium litteratum* transmigrarunt. Additamenta verò AD INDICEM GEOGRAPHICO-HI- 35.
STORICUM STEPHANI, plane diſſipata ſunt. HISTORIA quoque UNIVERSALIS magno 36.
molimine fuit tunc mihi tractata, *uctis Tabulis Schraderianis*, *novarum Tabularum* ſimilium ſingulis additarum *ordinibus* multis, quibus ea quæ variorum nomine pauca ipſe complexus eſt, longe plura *ex Calviſii* præcipuè *Chronologia*, *& aliis*, quos legebam recentioribus, nec minus *Juſtino*, & Veterum nonnullis annotabam, *alio*

in 4. volumine conſuto adverſario, ea *continentes*
quæ tabellis inſeri non poterant, vel narrationum,
vel dubiorum, aut probationum capita. TABU-
37. LIS etiam GENEALOGIARUM, aut ſucceſſio-
num, interpoſitis non paucis, qua parvis, qua ma-
gnis, uti res requirebat. Sed hic labor *usq; ad*
aliquot à Chriſto nato ſecula continuatus, ad pe-
regrinationes abeunti *derelictus*, reſumi poſteà
non potuit, adeoque inperſectus remanſit. Tan-
dem cum *à* laudato jam *ante Dno. Affine* meo ad
lectionem inprimis *Ariſtotelis* incitarer, ejusque
de doctrina demonſtrationis agentes *libros Ana-*
lyticorum indies commendari audirem: acri
labore, atque magno, tam PRIORA, quam PO-
XXXIIX. STERIORA ejusdem ANALYTICA reſol-
vens ANALYSI quantum poteram exacta, *Kec-*
kermanno jam olim *deſiderata* in formam Logi-
cam referebam, aliquibus etiam *in adverſaria*
prius *n. XXXI.* memorata relatis. Quem laborem
fateor me, quoties reſpicio, ex omnibus nunc ma-
ximè mirari: quod adeo tetricus, & a juvenilis
adhuc germinantis quaſi judicii tenuitate alienus,
potuerit à me devorari, & quidem adeo parum
adjuto. Nam Feldenus ne quidem de illo re-
ſcivit ante quidquam, quam publico eum Cata-
logo multis annis poſt profeſſum publicè intel-
lexit. Neque ullo niſi *Monlorii ad priora* com-
mentario levabar. *Ad poſteriora* quoties *Zaba-*
rellam, Conimbricenſes, & alios ex Bibliotheca
beati parentis, talibus in Academia Jenenſi olim
lectio-

lectionibus fatigati adhibebam, incertior longè atque intricatior quam ante recedebam. Ut adeo paululum progreſſus, *iis* omnibus longiſſimè *rejectis*, ſolo *textu Græco Ariſtotelis* (interpretationibus etiam me magis turbantibus quam juvantibus, ob particularum præprimis, connexionem argumentorum indicantium, incuriam & perverſam verſionem) *Grammaticè prius reſoluto contentus*, horis ſæpe integris, imò diebus aliquot, unico argumentorum contextui, fatigatione animi & corporis incredibili plane inſudarem, pertinacia tamen obſtinatâ, cœptum opus antequam perfectum eſſet, haud deſerendi. Quod tandem anno prope vertente abſolutum, incredibili mihi fuit poſtea in reſolvendis oblatis quibuscunque aliis auctorum argumentis difficilioribus adjumento. Utpote quorum intricatiſſima quæque, præ hiſce dein ludus & jocus merus videbantur. Interim & ANNOTATIONES xxxix.
AD ARISTOTELIS Analytica, ET ALIA SCRIPTA VARIA, ex eo tempore in volumen peculiare coaluere, cum alio poſtmodum ad ALIORUM AUCTORUM lectorum, loca monitis xl.
aliquibus vel animadverſionibus adſperſis illuſtratorum, volumine conjunctum. Niſi quando *pluſcula uni adjecta*, commentarioli potius quam notarum inſtar habentia, *ſeorſim* quæque, ne molis illius Miſcellanei Adverſaria nimis excreſcerent, ſunt *adſervata*. In primis quæ *Collegiis peculiaribus* aliquando etiam, ex quo le-

 ctio-

ctiones habere cœpi, explanatis auctoribus ac-
ceſſere. v. gr. *Guilielmi Grotii* principis Juris na-
turæ, *Epicteti* Enchiridio, *Thomaſii* breviario
Ethico, *Hornei* diſputationibus Ethicis, &c.

Anno 1661. Lipſiam delatus, cum Juri tan-
dem Civili operam dare, hucusque ſolis Philoſo-
41. phicis fere occupatus, inſtituiſſem, ADVERSA-
RIA VOCUM JURIDICARUM colligere cœ-
pi, ſed mox iterum *derelicta* etiam *abolevi*, quod
in eo genere ſatis ab aliis elaboratum, & mihi
nullo modo Theoreticam Juris profeſſionem
amplecti animato, parum utilia fore prævide-
rem. Quod utinam etiam in vaſto illo & ope-
XLII. roſo molimine PROPOSITIONUM JURIDI-
CARUM *Adverſario* feciſſem. Quod *tribus*
voluminibus in quarto compactis, per *Inſtitutio-*
nes, & *Digeſta, partemq; Codicis* ita duxi, ut facta
reſolutione textuum omnium, in ſuas propoſi-
tiones, Analyſi Logica exactiſſima, inde exſcul-
pendas, & *vice verſa ſubjecto cuiq; in titulum* ali-
um *ordinato* ſua *prædicata* ſubſcriberem, ut adeo
quidquid *de milite* prædicaretur ſub militis voce,
quidquid ſub *miſſionem militum* veniret, eo titu-
lo ſubſcriptum, *& ita porrò* haberem. Qui ſane
labor, aliquot annis mihi ut temporis multum
abſumſit & virium, ita nunc Theoriam Juris nul-
lam unquam profeſſo, ad Praxin etiam ſine hiſce
ſatis inſtruendam, parum conduxit, atque memo-
riam, alias etiam ſatis habilem futuram, legum
promiſcua omnium copia magis impedivit, quæ
ſele-

ſelectioribus ſolis debuiſſet ordinatis, atque diſtinctione vigentium ab abrogatis facta, rem in pauca redigendo firmari. Ut *poſtea Inſtitutionibus Juris reconcinnatis* meis longè *utilius* feci. Hiſce tantis laboribus, etiam alium addebam eodem anno, videlicet *Adverſarium* REALIUM JURIDICORUM *volumen*, quo reflexione mentis aliqua notanda, qua *univerſalia*, qua *ſingularia* digerebam. *v. gr. Interpretationes bene, malè, hujus, illiusve generis factas. Leges contradicentes revera, vel apparenter*, invicem *ſibi*, aut *Juri divino, naturalive*, &c. Quod ut minoris molis, ita majoris etiam uſus mihi fuit. XLIII.

Atque ſic annus etiam ille non modico labore conſumtus eſt, imò tam immoderato, ut *hypochondriacis obſtructionibus* affectum, ſequente vix ineunte, me depræhenderem iis, quibus poſtea nunquam bona fide ſum liberatus. Unde tunc DIARIUM demum inſtitui facere, ut XLIV. *circa corporis* mei *valetudinem* accuratius obſervata notarem, & *ſtudiorum* juxta *memoriam* conſervarem. Quandoquidem de moribus curandis exigua proh dolor! tunc cura me adhuc, vel nulla potius ſollicitabat. Illi primitus formam portatilem in *octavo*, molis etiam exiguæ *compactum* nitide *Volumen*, per itinera poſtmodum omnia inſervivit, *cryptographicè* quoque *multa*, & pleraque non niſi *notarum ſignis*, aut *amputatis vocibus* annotanti; quo etiam in manus alienas forte incidens, quaſi non ſcriptus eſſe

poſſet. Donec poſtea domum reverſus, *alterum*, & præter omnem ſpem *tertium*, imò jam *quartum*, *in forma quarta* ferme implevi, *ſiniſtra qualibet pagina corporis*, ac è regione poſita *dextra mentis & voluntatis mutationes* notabiles continente; appoſito etiam nonnullis, aut repetitu crebrius neceſſariis, aut ſæpius ſparſim memoratis uno intuitu luſtrandis, *alphabetico ſchedaceo indice*, pro lubitu augendo, minuendo, mutandove, prouti res & occaſio feret.

Ac hiſe quidem excerptis Lipſia Viennam, ubi anno tantum non integro detentus à morbo manſi, Vienna porrò Patavium, ubi ſeſqui anno me tenui, translatus, contentus fui locupletandis, niſi quod *adverſaria* PHRASIUM ITALI-
45. CARUM, & CONTROVERSIARUM JURI-
46. DICARUM in 4. atque REGULARUM etiam
47. JURIDICARUM UNIVERSALISSIMARUM aliquod *portatile Volumen in 8.* exiguum, ac in
48. Galliis PHRASIUM GALLICARUM *adverſarium in 4.* librum excerpſi. Quæ cuncta poſt *derelictis* ſunt *annumerata*. Poſtquam domum reverſus Anno 1667. foro me dare
XLIX. coactus, AD JUS STATUTARIUM *adverſaria* colligere, & Excerpta mea priſtina, triennio plusquam integro nec viſa, luſtrare iterum & ordinare cœpi. Enimvero quaſi de novo
50. ſtudia orſurus mea, etiam Philoſophica, LOGI-
LI. CIS & RHETORICIS *collectaneis in folio Metho-*

thodicis novis initium dedi. Quorum *illa* poſt *ad Jungianam Logicam*, collegii privati occaſione *annotationibus* illuſtratam, & *commentarium in Verulamii de augmentis ſcientiarum librum Quintum* applicata: *hæc* verò etiam *in Rhetoricarum acceſſionum* aliquantula ſui parte jam *publicata*, maxima verò parte adhuc *publicanda*, quando Deus ſiverit, conceſſere. Nempe *bipertito Volumine*: quorum *prius* ipſam DOCTRINAM RHETORICAM, *poſterius* LII. *praxin*, præcepta ipſa in artis habitum, auſcultatione, lectione, meditatione, exercitatione ducendi, omnem partite ordinatam ſiſtat. Interim ad animæ quoq; curandæ meæ tandem ſollicitiori cura intentus, ADVERSARIA SACRA, *duplicia* condere cœpi, Quorum *alterum*, in uſus peculares meos, *dicta Scripturæ* præcipua, iis *affectibus*, quibus indigere me potiſſimum commotis aut ſedatis, obſervabam, *excitandis* vel *compeſcendis ſervitura*, repetitioni promptæ ſiſtebat: alterum OBSERVATIONES THEOLOGICAS *generales reflexivas* LIII. exhibebat. *v. gr. Interpretationes, extenſiones, reſtrictiones S. Scripturæ rariores, bonas, malas. Contradictiones apparentes* conciliatas. *Verſiones diſſonas*, aut *corrigendas* &c. Philoſophiæ verò Practicæ me toto animo præcipuè daturus, TYPUM PHILOSOPHIÆ MORALIS LIV. *Methodicum, in folio, deſtructis* prioribus *num.* 26. *memoratis ad ordinem Keckermanni* Locis

communibus adornavi, cujus ſumma capita dein, *Anno 1675.* initio Profeſſionis ſuſceptæ, in gratiam auditorum, quibus erant prælegenda, *typis* fuerunt *excuſa*, *Germanice* poſtmodum *emendatiora* etiam & *auctiora* publicata. JU-
LV. RIS quoque NATURALIS mox ſeparatam *Methodicam adumbrationem*, itidem *in folio* diſpoſui, pro collectaneis & meditationibus meis in genere recipiendis, poſtea *in corpus plenarium*, definitionibus, & demonſtrationibus ſeparatim ordinatis, & *tabellarum* æque *ac alphabetici* etiam *indicis adminiculo* (æque *ac in Ethicis* ante dictis factitatum) inſtructis digeſtum, ac editioni dudum jam paratum, niſi mallem illud ex monito Flacci, nonum in annum etiam bis jam expletum premere, quo plenius & emendatius exiens, argutum hocce ſeculum, tam acribus, & partim omne Jus naturæ de quo agunt violantibus diſputationibus merito ſcriptori cuique formidandum, eo rectius ferre tandem poſſet. Hoc etiam fine ARISTOTELIS
LVI. ETHICA & POLITICA, vel collegiorum, ad
LVII. breviaria eorundem aliqua habitorum occaſione repetens, LEMMATA *ſingulorum textuum* probationes novas ordientium, & ANALYSI *partim* accurata *in formam Logicam redactorum* excerpſi, præ multis commentariis etiam intelligendis tanti Philoſophi ſcriptis hiſce uſui eſſe jam auditorum meorum aliquibus mecum
LVIII. una comperta. *Specialem* etiam MORUM MEDI-

MEDICINAM PRACTICAM, *ſingulis vitiis; ad methodum* partium ultimarum duarum Ethices, *Semeioticæ* nempe *ac Therapeuticæ* meæ *moralis*, applicandam, *in folio*, datis cuique vitio *Philyris* ſingulis *in Alphabeticum ordinem compoſitis*, *neq; ligatis*, ut uſui ſeparata quæque ſervire poſſent, adornavi: auctiora præ aliis alia, prout merentur magis, & elaborata reliquis curandi fundamenta ſunt præbitura, minus fuſe ob id ipſum tractandis. Ex iis *una* quæ eſt IRACUNDIÆ, meis ipſius neceſſariis ob LIX. proclivitatem ad id vitium proh dolor! ineluctabilem uſibus, ex profeſſo, & plenius pertractata, *in juſti voluminis* ſeparati *molem* jam excrevit. Quod ſane ſingulis reliquorum eadem ratione pertractandorum exemplar poſſit aliquando præſtare, ſiquidem vitæ ſumma brevis ſpem nimis longam reliquis parem in modum abſolvendis præcidat. Porrò ne quid ad rationem omnem Philoſophiæ Practicæ plenius edocendæ mihi, vel ediſcendæ auditoribus deeſſet meis, tam ETHICÆ, quam JURI NATURA- LX. LI, ſuas DE STUDIO cujusque per auſcultatio- LXI. nem, lectionem, meditationem, & exercitationem propriam, quod ad ſcientiam non ſolum, ſed experientiam quoque ſingularium, univerſalibus demonſtratis ad plenum prudentiæ habitum neceſſariò jungendam, PERFICIENDO ſuccenturiavi *methodicam doctrinam*, exhibentem quoque BIBLIOGRAPHIAM MORA-

LEM, & JURIS NATURALIS compendioſam, quæ in claſſes ſuas diſtinctos auctores optimos, pro merito ſuo quosque commendat, quemadmodum *idem circa Rhetoricos* Scriptores *in memorata paulo ante num. LII. parte Practica* illius ſtudii eſt factum.

LXII. Denique THEOLOGIÆ quoque MORALIS *ſyſtematicum in folio Volumen*, illico *Philoſophiæ Morali ſubjunxi*: aliquando ſi Deus voluerit & vivam, diſcrimen Naturæ gratiæque, per ſingulas Ethices meæ partes exhibiturum. Interim mihi explendis ad Chriſtianiſmi mei neceſſitatem, officiis demonſtratis, ex myſteriis rationi non acceſſis, uſui futurum, Ita faxit Deus! ſalutari. Quod idem de alio Volumine Theologico etiam precatum velim, quo

LXIII. RHETORICAM doctrinam AD PERSVASIONIS CHRISTIANÆ, ac ſpeciatim CONCIONATORIÆ, præſtantiſſimum ſane præ omnibus aliis uſum applicatum, & huc usque cum binis ſolis, operi tam divino (non ſine omine) beate admodum immortuis Juvenibus communicatum. Qua flexanima & verticordia piorum affectuum, mihi aliisque excitandorum ſuada, præcipuè fuit in animæ auxilium meæ, tum & aliorum tentata: Utinam in uſus vere verticordios & ſalutiferos ad Amorem Dei Patris, in nomine Jeſu Chriſti, per gratiam Spiritus Sancti porro, mihi pluribusque divinitus magis adjuvandis, maximos largiter ceſſuros!

Cum

Cum etiam germanice de hiſce omnibus æquè ac magis adeo ſæpe quam Latine, Theologis, & inter ſe conferentibus amicè de moralibus quibuscunque aliis, ſermones miſcere poſſe plurimum expedire ſentirem; ac adeo Ethicis Germannicis elaborandis ipſus inſudarem, etiam prolixius longe, quam in edito Ethicorum Typo Germanico fuit factum, INDICULOS DUOS portatiles LXIV.
in 8vo. ligatis alphabeticis libellis adornandos LXV.
duxi, quorum alter LATINA GERMANICE verſa, alter GERMANICA LATINE REDDITA *vocabula*, præprimis TECHNICA, *vel alias difficiliora* exhiberet; qua propria meditatione, qua lectione optimorum auctorum, & ſchedarum etiam Jungianarum collecta. Demum etiam, in *Taſſianorum Manuſcriptorum*, poſt Jungianas Schedas evolutas, perluſtratione, illud de ARCA STUDIORUM *inventum* LXVI.
Anonymum forte deprælhendens, paulo ante quam Profeſſioni publicæ admoverer, illius emendati quoq; ad meum certe, ſin minus ad communem aliorum omnium genium fabricam aliquam mihi confeci, *diſſecto* ad hoc ipſum *Exemplorum* à puero quondam collectorum *volumine n. 10.* cum parte alterius *n. 5.* memorati, quod exempla continebat. Nempe quod & abolenda jam alioqui ea decreveram, & hac ratione ſelectu aliquorum, quando paginis alternis ſolis uti liceret, inventi hujusce periculum facere, atque utilitatem vel inutilitatem experiri,

citra

citra jacturam novi temporis, aut novorum Excerptorum liceret. Itaque inter meditationes alias, quando lubebat, filamenta illa ferrea inflectebam, ad formam ſuperius repræſentatam, & horis vacuis à prandio primis, ſchedas itidem inter alias meditationes recipiendis titulis præparatas, Claviculis ſuis affigebam, ad bacillos à ſcriniario præparatos, quibus deinde appenſa ſegmenta priſtinorum Excerptorum puerilium ſelectiora, vel appendebam ipſe, vel per famulum appendi curans, quaſi aliud agendo, imo ludendo, concinnabam hocce ſcrinium, in experimentum potius aut exemplar, olim auditoribus meis exhibendum, quam in uſum aliquem inſignem proprium adornatum. Quod ut rude, atque minus ornatum, ſic utile tamen, & expeditum ſatis comperi, aliorum induſtria, prout viſum fuerit, exornandum porro & perpoliendum. Et hæc quidem erunt Excerpta mea, quantum memini præcipua ferè univerſa. Nam *editorum* publicè *libellorum mentionem hic non* putavi *repetendam*: cum ex iis ipſis inſpectis, quod opus ſit ſcitu, ſatis per ſe conſtare poſſit. Neque *abolita* etiam omnia minuſcula nunc memini amplius cuncta, nec meminiſſe neceſſum

LXVI. putem, v. gr. BIBLIOGRAPHICA ſive *de Vitis eruditorum collectanea, Königii Bibliothecæ veteri* & novæ, poſtquam ea prodiit, una cum aliis additamentis, *in charta partim interjecta, partim ſubjecta*, diviſo in eum finem *bipertito volumine*

attexta

attexta. Item AD PHILIPPI LABBEI BI- LXVII.
BLIOTHECAM BIBLIOTHECARUM *additamenta* ſimilia, poſtmodum *ad Valentini Henrici Vogleri* Profeſſoris Helmſtadienſis *Introductionem in notitiam auctorum* applicata, quando *Antonii Teiſſerii* prodiit *Catalogus auctorum*, cum *appendice*, cui *centurias* etiam ultra *duas* addere paratum, typographus feſtinus nimium antevenit; ipſo auctore, ut in litteris ad me ſuis exul conquerebatur, ex ſe nimis quod ageret ac doleret interim habente. Cui divinum ſolatium, & auxilium bonorum ex animo precor, meum ſi qua poſſim, non in aliis magis, quam hoc inſtituto denegaturus.

Poſſem *emendationes* etiam, & *appendices* enumeratorum excerptorum aliquot adhuc enumerare: niſi jam ſic exclamare te audirem, *Obe jam ſatis eſt obe libelle*! Sane enim jam libellum pro Epiſtola tibi feci. Quare taceo jam ad Philoſophicum volumen ante memoratum ſuperadditum *adverſarium*| aliud SENTEN- LXVIII.
TIARUM, ejusdem argumenti plures, elegantius expreſſas, in totum, vel pene ſimiles, *inſtar Magiri* diſtinctum, ſub quolibet titulo paragraphorum exhibens enotatas. Item *ad* illius
EPONYMOLOGICUM CRITICUM, ab *Eybenio* nuper *triplo auctum*, & ſi quis typogra- LXIX.
phus editor ſe offerat, à me plus *decuplo* iterum *augendum*, addita *collectanea*, olim *ut n. v.* expoſui, *adverſario in 8.* poſt *in 4.* mutato volumine

ne jam congeſta, & poſt *ex ſchedis* ab amiciſſimo Licentiato *Henrico Brokes* pie *defuncto*, mihi relictis alphabeticis aucta, *volumine in 8vo.* quemadmodum *cap. II. Sect. IV. §. III.* deſcribitur confectis. Nempe *ſingulis philyris ſeparatim loro coriaceo* ita *aſſutis*, *ut dimoveri*, pro ut lubet, vel *coarctari poſſint*, & iisdem *loris pro vinculis* totum Volumen conſtringentibus *inſervientibus*, Titulisque remittentibus ad volumen ante confectum, ubi opportune inſertis, vel ſectione jam à reliquo folio ſeparatis laciniis, vel relictis pone citra opiſtographum ſectioni adaptatis ita ſpatiis, ut interſeri, quaqua lubeat folia plura poſſint. Prætereo etiam conſpecta

LXX. tibi DEFINITIONUM ETHICIS GERMANICIS CONTENTARUM ſeorſim (quia non quosque ex meis auditoribus ad eas eruendas ſibi ſufficere notaveram) collocatarum ſingularum *excerpta*, initio *in ſchedis craſſioribus uncialibus ad alphabeticam ſeriem* ordinata, & quidem ita, ut *perfilata bis in medio*, per ipſum filum ſingularum litterarum ſchedæ ſepararentur, eum in modum, ut *nodis ad primum ductum ſolvendis catenatim cohærentes*, aut ſeparatas litteras habere, ſingulasque ſchedas etiam, non ſoluto filo, non nimis arcte cohærentes, inſpicere, ac perlegere commode liceret: donec additione nulla amplius inſigni facienda, *deſcribi tandem in libellum, chartis etiam interjectis,*

ad

ad ulteriora ſupplementa, compactum,& portabilem *feci*.

Similiter nunc taceo; monſtratum itidem tibi coram codicem, quem conſtituebant FRAGMENTA TYPI *editi mei* MORALIUM ACCESSIONUM *diſſecta*, inque Volumen *in folio*, *ſpatiis relictis conglutinata*, prout viſum eſt, ad additamenta recipienda ulteriora: *Volumine adverſario* etiam *peculiari* majoribus, ad aliquam propoſitionem *acceſſoriis deſtinato* auctum. Quod ipſum *jam in methodicum ſyſtema* evaſit, nunc *tertio* iterum *deſcribi & ordinari augerique cæptum* ita, ut definitiones ſingulis paragraphis, ſeparatæ ſuis numeris, ac inde fluentes propoſitiones, aliis iterum diſtinctæ repræſententur: donec requiſitis novis definitionibus ulterioribus, ad novas demonſtrationes, ſimiliter ſeorſim numeratis ſuis paragraphis exhibitis, continuando caput quodque abſolvatur. Quæ adeo ultima elaboratio, Jam in parte tertia, cum ſecunda conjunctim ex oppoſitorum natura perficienda occupatur, & Deo Volente brevi ad quartam etiam & quintam, Problematibus Practicis augendam extendetur, ut ipſum corpus integrum, quam ſimillimum Mathematicæ rationi, longe alia & pia magis, atque ab impio eſt Spinoſa factum, etſi ſpinoſe minus exhibeatur. Utinam ad uſus meos, & piorum, labore tanto non indignos, imo honori Dei ad quem ducunt!

Tandem nec aliorum affectorum & publico deſti-

deſtinatorum collectanea ſpecialia nunc recenſeo, quæ ex Catalogo edendorum adjuncto etiam
LXXII. his ſatis licet intelligere: ANONYMORUM itidem ET PSEUDONYMORUM *peculiari Epiſtolâ*, ſimul nunc Q. B. D. V. publicanda, prolixius ediſſe rendum conſilium omne & inſtitutum. Quibus quid additurus ſim porro, noverit is qui quid addendum ſit vitæ meæ ſolus novit. Nunc huic ſaltim enumerationi hoc etiam addendum puto, in utilitatem tuam, & aliorum, ſi qui hæc viderint *auctarium, de commiſſis*, a me *in excerpendis* tot numero & genere collectaneis, *errorum præcipuis, monitum univerſale unum alterumq́;* ut vel meo malo ſapere alii magis diſcant.

Nimirum præter alia leviora, nunc brevitatis ergo prætereunda, & ex generalibus monitis mox agnoſcenda, vel ni agnoſcantur etiam, minus nocitura fortaſſis errata, peccatum eſt in hoc à me multo maxime. Quando

1. *Præmaturè nimis*, *ſine judicio* excerpere multa *propemvi*, ad quæ judicium aliquod ſolidius requirebatur.

2. *Nimis multa* in univerſum *excerpſi*, etiam in iis, in quibus prævidere debuiſſem, mihi non multum immorandum, adeoque dein uſum eorum nullum plane futurum. v. gr. Cui uſui erant futura Gallica, Italica phraſium collectanea, linguarum illarum uſum non ad ſcribendum æquè ac ad intelligendum ea quæ ab aliis ſcripta erant, conſervaturo? unde & hæc, & alia pleraq́; omnia

omnia nunc *derelicta* jacent excerptorum volumina: imo *minoribus numeris ſignata* pleraque omnia, nunc exiguum aut nullum uſum amplius mihi præſtant.

3. Nimis etiam *minute*, mihi ſunt & *inarticulate*, imò *dimidiatis pleraq; vocibus*, & *lemmatice* tantum exſcripta: proin nec aliis etiam impertienda, quibus uſui eſſe poſſent.

4. *Magis aliena quam propria*, maxime, primis annis habeo conſtipata: non ſecus ac ſi ex alienis potius quam propriis meditationibus eſſet vivendum, & eruditio potius ex opinionum alienarum cumulis, quam rectè cogitatorum ſolidis fundamentis conſtaret. Id quod quia poſterioribus annis aliter longe ſenſi, maximus priorum omnium labor intercidit, & ſupervacaneus imò oneroſus eſſe cœpit. Niſi quod nunc etiam confirmandis aut refellendis objectis inſerviunt. Quorum ut in hiſce ſum perparcus, ſatis habens, ea quæ intelligo & ſentio propoſuiſſe, ac ſolide probaſſe, aliis refutandorum inde oppoſitorum, ut invidiam ita gloriam relinquens: ſic in illis brevi ad marginem locorum apud alios conſentaneorum annotatione rem totam conficio.

Sed plura etiam errata, partim vel nec ipſimet mihi ſatis nunc forſan adhuc obſervata, reſtarent: niſi jam horum nimis puderet, atque pigeret, optantem fruſtra nunc irrevocabile tempus melioribus impendendum recuperare.

Quare bona fide tandem nunc *finem hic*

ſcribendi facio, precaturus etiam, ut tibi ſoli ſcripta hæc haberes; quæ aliis promiſcuè monſtrata, quantam ſint pro diverſitate cenſorum diverſitatem cenſuræ ſubitura, quis non videat, vel mediocriter prudens? Sed noſti, quam ego cenſuras alienas nihil ad me lædendum pertinere noverim, ſibi quoquo male judicante, non alteri, nihil inde ultra quam velit paſſuro, ex bonis autem etiam profectum capturo.

Quin ego ita ſum per Dei gratiam animatus, ut vel tua, vel ullius alicujus juvenis utilitate minima hinc parta, facile ſim omnes etiam iniquiſſimas cenſuras abunde ſatis penſaturus: vel ſic, ſi æquæ ac rectæ ſint minus, atque moratæ, dignas mihi non futuras, ad quas adeò reſpiciam ſolum, nedum actum vitæ meæ ullum putem componendum. Quam ut tibi, & bonis omnibus, & magis adhuc conſcientiæ ut probem meæ, maximeque Deo, unice mihi credo elaborandum. *Vale.*

I. N. J. C.

IN-

INDEX PARTIUM.

CAP. I.

DE *excerptis in genere*, eorumque vario *nomine* & *arte*: hujusque exiſtentia, *Natura*, *Mediis*, *Auctoribus*, *uſu*, *attributisq́;* aliis, & generalibus *Præceptis* obſervandis, *vitiisque fugiendis*.

pag.

§. I. De *Nomine Excerptorum* ejusque *Synonymis*. 1.

II. *Definitio artis Excerpendi*, & quod aliqua omnino detur, deque illius *natura* univerſim conſiderata. 3.

III. *Affinia* arti excerpendi ab eadem *ſecernenda*. Videlicet (1) *Signandi ratio* citra enotationem. (2) *Enotatio inartificialis*. 4.

IV. *Media* comparandi hanc artem, ubi (1) *de libris* hucusque ſcriptis circa hanc artem ſingulatim, (2) de *vivis doctoribus* ejusdem. (3) de *Experientia propria*. 8.

V. *Utilitas* Excerptorum qua *Eſſentialis*, propria & *peculiaris*, qua *accidentaria*, & cum aliis artibus *communis* ſtabilita (1) *rationibus*, & (2) *auctoritate* virorum ſummorum. 16.

VI. *Objectiones* contra excerpendi artem, aut induſtriam, *ſoluta*. 21.

VII. *Univerſaliſſima prima* præcepta hujus artis. 24.

VIII. *Univerſalia* Præcepta *generalia*, & *abſolutè ſpectata*, ratione materiæ, quantitatis, formæ internæ, externæque in titulis formandis, ordinandis, & ſubordinandis. 26.

IX. *Univerſalia* præcepta *ſpecialia* reſpectu circumſtantiarum. 40.

X. Oppoſita huic arti præcipua *VitiaExcerptorum*, quo

P 2 XI. Oppo-

frequentiora, proclivlora, & magis noxia, hoc magis vitanda. 47.

CAPUT II.

De

Variis *Excerptorum generibus*, ex varietate vel formæ excerpendi, vel excerpentium orientibus.

SECTIO I.

Enumeratio varietatum excerpendi. 55

SECTIO II.

De

Verbotenus Excerpendis.

§. I. *Definitio.* 58.
II. De *Commoditate* & *Incommoditate* verbotenus Excerptorum. 58.
III. *Præcepta* Verbotenus Excerpendi. 59.

SECTIO III.

De

Lemmaticis Excerptis.

§. I. *Nomenclatura* & *Definitio.* 60.
II. *Commoditas* Lemmaticorum Excerptorum. 61.
III. *Præcepta* Lemmaticè quam optimè Excerpendi. 61.

SECTIO IV.

De

Libris Excerptorum.

§. I. *Natura* & *Species* Librariorum Excerptorum. 63.
II. *Commoda* & *Incommoda* Librariorum Excerptorum. 64.

III. *Præcepta* Librariorum Excerptorum optimè formandorum. 65.

SECTIO V.

De

Schedis Excerptorum.

§. I. *Natura* & *Species* Schedaceorum Excerptorum. 68.
II. *Commoda* & *Incommoda* Schedaceorum Excerptorum. 69.
III. *Præcepta* optimè ordinandi Schedacea Excerpta. 72.

SECTIO VI.

De

Adverſariis Excerptis.

§. I. Adverſariorum *Definitio* & *Natura.* 74.
II. *Virtutes adverſariorum* Excerptorum, ſive Commoda & Incommoda. 76.
III. *Præcepta* colligendorum optime *adverſariorum.* 77.
IV. De *Indice Adverſariorum* optime ordinando. 84.

SECTIO VII.

De

Alphabeticis Excerptis.

§. I. Alphabeticorum Excerptorum *Definitio* & *Natura.* 97.
II. De *Commodis* & *Incommodis* Alphabeticorum excerptorum. 99.
III. *Præcepta* optime concipiendi Alphabetica Excerpta. 100.

SECTIO IIX.

De

Methodicis Excerptis.

§. I. *Definitio* & *Natura* Methodicorum Excerptorum. 105.
II. De *Commodis* & *Incommodis* Methodicorum Excerptorum. 160.
III. *Præcepta* methodicè quam optimè excerpendi. 108.

SECTIO IX.

De

Commentariis Excerptis.

§. I. *Definitio* & *Natura* Commentariorum Excerptorum. 114.
II. De *Commoditate* Commentariorum Excerptorum. 116.
III. *Præcepta* commentaria Excerpta optimè adornandi. 117.

SECTIO X.

De

Scrinio Litterato

Sive peculiari quodam invento, ex *Anonymi* Manuſcripto, per propriam Experientiam multis modis *emendato*, modum Excerpendi ſingularem, ac valde compendioſum, utilemque continente.

Membr. I. *Occaſio* ejus Scrinii, ex Manuſcripto de Arca ſtudiorum anonymo, & præſtita circa illud nobis. 121.
Membr. II. *Manuſcriptum* ipſum exhibitum *Anonymi* cum figuris. 124.
§. I. *Cauſa* Scriptionis & *finis*. 124.
II. Excerptorum *neceſſitas*, & duplex hujus modus. 125.
III. *Prior modus* Indicis *Alphabetici* univerſalis per alium ſpecialiorem dirigendi. 126.
IV. Ejus *incommoda* in (1) excerpendo. (2) reperiendo. (3) communicando. 126.
V. *Poſterior modus* ordinis *Adverſarii* per Indicem dirigendi. 127.
VI. Ejus *Incommoda*, in (1) reperiendo, (2) communicando. 128.
VII. Aliis Incommodis, pleroſque deterreri, aut mox fatigari. 129.
IIX. Auctor fatigatus, quomodo ad novum modum excerpendi pervenerit. 130.

VII. Aliis

IX. Ejus publicandi conſilium, & ordo. 132.
X. Scribendi modus. 133.
XI. Ejus præ prioribus præſtantia, & quomodo ad poſteriorem ex iis poſſet revocari. 136.
XII. *Digerendi modus*: Ad eum pertinens *Arca, ejusq; partes*. 137.
XIII. Impenſæ non fugiendæ, nec difficultas. 143.
XIV. *Titulorum* & *chartularum ordinatio*. 143.
XV. *Uſus privatus*, in evolvendis & ordinandis collectis. 144.
XVI. *Uſus publicus*, in communicandis collectis, ſocianda collectione. 145.
XVII. *Cautela I.* de copia collectorum ad eundem titulum. 146.
XIIX. *Cautela II.* de communibus titulorum multorum uni miſcellaneo dicandis. 147.
XIX. *Cautela III.* de publicanda tali Arca. 147.
XX. *Cautela IV.* de multiplicanda tali Arca. 147.
XXI. *Cautela V.* de uſu ſpeciali ejus, ad Panſophiam Comenianam, & publicationis eo intuitu occaſione. 148.
MEMBR. III. *Incommoda* hujus *arcæ*, & eorum per *Scrinium* novæ formæ excogitatum, elevatio. 149.
MEMBR. IV. *De commodis hujus Scrinii* litterati emendati. 155.
MEMBR. V. *Præcepta* circa Scrinium litteratum emendatum obſervanda. 158.

SECTIO XI.

De

Excerpendi genere extraordinario uno atque altero, variè multiplicando. 159.

SECTIO XII.

De

Excerptis Socialibus. 161.

CAPUT

CAPUT III.

De

V*Arietate Excerptorum*, *ratione Materiæ* Excerpendæ.

§. I. *Species* Varietatum *Materiæ* excerpendæ ad certa capita redactæ. 163.

II. De *Univerſalium Excerptis.* 164.

III. De *Singularium Exemplificantium* Excerptis. 170.

IV. De *Singularium non Exemplificantium* Excerptis. 175.

V. De Verborum, ſive *ad ſermonem pertinentibus Excerptis.* 178.

Epiſtola Auctoris : qua *Hiſtoria Excerptorum propriorum* partite recenſetur, per annos plus quam XXX. continuatorum, *indicatis* maximè *aberrationibus* ſuis variis, ad cautelam majorem & profectum aliorum. 184.

F I N I S.

INVITATIO AMICA
AD
ANTONIUM MAGLIABECCHI,
aliosq;
Illuſtres & Clariſſimos
Reip. Litterariæ, atq; rei Librariæ Proceres,
Fautores, Peritos,
ſuper
Symbolis promiſſis partim & deſtinatis
ad
ANONYMOS & PSEUDONYMOS
DETECTOS & DETEGENDOS
VINCENTII PLACCII HAMBURGENSIS.
Accedit
Delineatio præſentis ſtatus,
&
Conſilium atq; votum,
abſolvendi D. V. ac edendi
OPERIS TOTIUS,
Ultra 4000. Autores detectos
exhibituri:
cum indicibus adjunctis neceſſariis.

HAMBURGI,
Apud GOTTFRIED LIEBEZEIT, Bibliop.
Literisq; SPIRINGIANIS, Anno MDCLXXXIX.

Viris
Illuſtribus,
Excellentiſſimis, Ampliſſimis, Nobiliſſimis,
Clariſſimis, doctiſſimisq;
ſingulis & univerſis
Reip. Litterariæ, & rei Librariæ Proceribus, Fautoribus, Peritis: ac nominatim iis,
Qui per Litteras promiſere ſymbolas ſuas Auctoribus meis detectis,
Patronis & Amicis meis honoratisſimis, citra dignitatis aut honoris præjudicium alphabetica prænominum ſerie nunc recenſendis.

ANTONIO MAGLIABECCHI, Magni Hetruriæ Principis Bibliothecario.
CASPARO THURMANNO, J. U. D.
CHRISTIANO MARTINO DORN, J. U. D. & Regiæ Maj. Danicæ Conſiliario.
CHRISTIANO WEISE, ex P. P. Weiſſenfelſenſi, Rectori Gymnaſii Zviccavienſis.
CHRISTOPHORO SCHRADER. J. U. D. Principis Cellenſis Conſiliario.
DANIELI GUILIELMO MOLLER. P. P. Altorfino.
GERHARDO von MASTRICHT. JCto, Profeſſori olim Duysburgenſi, nunc Syndico Bremenſi.

GEOR-

GEORGIO GUILIELMO LEIBNUTZ. Conſiliario Principis Hannoverani.

GUILIELMO CAVE Concionatori Regio Anglicano.

JOHANNI DECKHERRO. J.U.D, Cæſareæ Cameræ Procuratori & Advocato.

JOHANNI DIECMAN SS. Theol.D. & Superint: Generalis Ducatus Bremenſis & Verdenſis.

JOHANNI FRIDERICO HEKELIO, Con-Rectori Rudolffſtadienſi.

JOHANNI GEORGIO OLEARIO L.A.M. & Eccleſiaſtæ Halæ Saxonum,

JOHANNI LEONHARDO MODEL, L.A.M. Scholæ Windshemenſis Rectori.

JOHANNI REISKIO L. A. M. Rectori Scholæ Guelpherbytanæ.

LAURENTIO NORMANNO. Upſalenſis Academiæ P. P. & Collegii Antiquitatum Regii Aſſeſſori.

MARTINO LIPENIO, Stetinenſis Gymnaſii Regii olim P. P. & Rectori, nunc Lubecenſem Scholam regenti.

THEOPHILO SPITZELIO, Eccleſiaſtæ Auguſtano.

WILHELMO ERNESTO TENZELIO.

S. P. D.

VINCENTIUS PLACCIUS.

INVITATIO AMICA.

ANnus jam præteriit *quintus* & *decimus*, ex *quo* datam de quingentis auctoribus, *Anonymis* partim & *Pſeudonymis* detegendis, in Catalogo nundinali fidem editis *mille ſuper quingentos* liberavi. Quod etſi valde liberale videri poſſit; tamen in præfatione opuſculi ejus, indicium feci, quomodo cum inopinato id temporis in eam ſcriptionem caſu incidiſſem potius, quam conſilio veniſſem, non niſi tumultuariè admodum illud conficere multis ex cauſſis potuerim. Editionis etiam maturandæ præcipuum ſcopum eum haudquaquam diſſimulavi, ut *ſtipem publice rogando*, penuriam meam largitate Virorum in hoc genere me longe opulentiorum explerem, usquedum theſauro alicui publicando ſufficeret. Ea *res* adeo præter ſpem omnem pene meam *præclare* tunc *mihi* ceſſit, ut idem prorſus experirer, quod doctiſſimus SPONIUS *in Epiſtola 20. Decembris 1684. Auctori Novorum Reip. Litterariæ Gallicè publicatorum ſcribit A. 1685. p. m. 39. Il faut avouër, que la reputation qu' on s' acquiert, eſt quelque fois plûtôt due au haſard, qu' aux ſoins que l' on ſe donne. Je le puis reconnoitre par moi-même. Car de tous mes Ouvrages, celuy qui m' en a le plus acquis, eſt celui, a qui*

a qui j' ay donné le moins de temps & le moins d' art. Id eſt (Fatendum eſt quod fama quam nobis comparamus, interdum potius debetur fortunæ, quam curis in eam impenſis. Id de me judicium facio. Nam ex omnibus meis operibus, id quod plurimam mihi comparavit, illud eſt, cui minimum impendi temporis & artis) Nimirum libellum hunc, quem otii fallendi gratia, valetudinarius, occaſione tunc præfando memorata, ex improviſo corraſeram potius quam conſcripſeram, tam avide diſtrahi, non modo per Germaniam, ſed exteras etiam provincias ſatis remotas comperi, ut paucis annis exemplaria deficerent. Cum ex adverſo, edita mea poſtmodum circa moralem Philoſophiam, (cujus ſane vel minimā portiunculam toti hujc ſcribendi generi præferre quis dubitet?) longe majori cum cura, licet haud magnæ molis ſcripta, imparem longe ſortem experirentur. Id quod ego ſeculi morbum interpretans, curioſa præ fructuoſis malentis, lætabar interim aliquomodo, inexpectatam alterius ſcriptionis fortunam, infortunio reliquorum etiam ſublevando nonnihil prodeſſe. Dum videlicet ad multorum notitiam, alias me measque circa morum doctrinam aſſiduas operas ſtrenuè ignoraturorum, hac ratione mei aliqua cogitatio deferebatur: quæ nonnullorum ex iis animos, ad inſpicienda quoque alia mea ſcripta poſſet excitare. Catalogo edendorum inprimis curioſitatem & expectationem accendente, quem memorato de Auctoribus detectis libello, non alium magis in finem adjeceram. Et vero non fefellit etiam ea me ſpes omnino. Quandoqui-

dem proximis ſtatim annis, *Epiſtolæ* non paucæ *doctiſſimorum Virorum*, Germanorum maximè, necnon tamen exterorum etiam aliquorum, acceſſiones partim Anonymis atque Pſeudonymis detegendis mittentium aut promittentium, partim ad edendá quæ promiſeram exhortantium, publicis etiam ejusdem argumenti aliquot ſtimulis jam incitatum ulterius *extimulaverunt*. Eorum *primus*, adeoque vel hoc ipſo nomine primo loco mihi hac etiam Epiſtola celebrandus, extitit *Illuſtris* omnino per univerſum orbem litteratum, & per omnium ora, pennasque certatim volans, ſummo ſuo merito, *Antonius* MAGLIABECCHI, *Magni Ducis Etruriæ Bibliothecarius*, mihi magnis coram olim beneficiis cognitus, & hinc jure ſummo, licet infra meritum longe *laudatus*, *Pſeudonymor*. 73. & 74. & ante jam *Carminum Juvenilium* meorum *lib. IV. p. 363.* Quod poſterius *elogium*, *inſertum* etiam *Aproſianæ Bibliothecæ* pag. 452. una cum aliis aliorum, longe ſupra me poſitorum Virorum digniſſimis præconiis, ſerio ſum lætatus. Hujus itaque tam cari Reip. univerſæ Litterariæ capitis, ad me verba d. 22. Auguſti 1674 Florentià perſcripta hæc ſunt. *Subito che quà comparirà il detto ſuo libro, io non mancherò di leggerlo, & aviſarle ſenza indugio alcuno le coſe, che ſtimerò da aggiugnere in eſſo, o da mutare. Stia certo, che il primo giorno che arriverà, lo leggerò, ed il medeſimo giorno anche le ſcrivero, le coſe che ſtimerò o dà aggiugnere, o dà mutare. i. e. (ſimulac comparuerit hic memoratus liber tuus, non intermittam, quin eum legam, & nunciem ſine mora ulla, quæcun-*

que

que exiſtimaverim illi adjungenda vel mutanda. Certus ſis, quod prima die, qua huc advenerit, eum legam, & eadem illa die quoque ſcribam illa, quæ exiſtimavero aut addenda, aut mutanda. Repetita fuit tam benevola promiſſio, menſe ſeptembri ejusdem anni, litteris *Celeberrimo Domino Jacobo* GRONOVIO diſcedenti perferendis ad me datis, ſed neſcio quo fato citra illius adſpectum ad me transmiſſis. Quibus etiam faſciculus mihi promittitur, ſed quod doleo, nunquam exhibitus, in quo eſſent aliqui libelli, una cum *Bibliotheca Aproſiana*, hic locorum plane tunc adhuc ignota, quam poſt triſtia fata deſideratiſſimi Collegæ mei, *Dris. Martini* FOGELII, ex Bibliotheca ipſius inſtructiſſima, rariſſimaque, commodato acceptam, multis poſt annis demum Venetiis, parario *cive & Amico meo longe chariſſimo Dn. Simberto* AMSING *J. U. Licentiato* redemtam accepi. Unde tandem explevi deſiderium meum, quod teſtatus eram, ad *Joh. Rhodii Catalogum n. 41.* p. 28. & *Pſeudonymor. num.* 74. Quorum priori loco notaveram *Petri Scavenii* circa hunc libellum *errorem*, quo *ex Aproſiana Bibliotheca* fecerat *Apocrypham*, neque non *Philippi Elſii*, & *Philippi Labbei* etiam *ignorationem*, & aliorum indebitum ſilentium: quibus neque totis poſtea 4. annis recenſenti & auctum ſuo nomine publicanti Labbei Bibliothecam Bibliothecarum *Antonio Teiſſerio*, aliquid amplius innotuiſſe miror: at multo magis etiam, quod *peritiſſimo* plane *rei librariæ*, *Profeſſori Kilonienſium celeberrimo*, *Amicoque meo honoratiſſimo*, *Dn. Danieli Georgio* MORHOFIO, ne nondum quidem

hujus libri notitia contigerit, quemadmodum ex ejuſdem curioſæ raræque doctrinæ alias pleniſſimo Polyhiſtore apparet. lib. 1. cap. V. p. 38 ubi hæc verba leguntur. *Quomodo Bibliothecam ſuam Angelicus Auguſtinianus inſtituerit, non liquet: nam nihil ejus, quod ſciam, editum eſt. Magnifica ejus, & planè invidenda elogia adferuntur â Gregorio Leti Italia regnante part. 4. lib. 3. pag. 377. ubi plura ejus ſcripta memorabilis ſane argumenti, mihi nunquam viſa, è Soprano de ſcriptoribus Liguriæ recenſentur. Scioppius illum librorum helluonem vocat, in fine animadverſionis in Voſſium de Vitiis Latini ſermonis. Producit idem Leti, ex Abbate Libanoro, pag. 3?0. locum, quo tomus ſecundus Bibliothecæ Aproſianæ citatur, quo multi continentur ab Hieron. Savanarolâ Mſſi libri; quam ob cauſam, aliasque, ſupprimi illi libri hactenus videntur.* Et verò de ſecundo Tomo hujus Catalogi ne nondum quidem etiam mihi quidquam liquet. Vixque adducar, ut ſuſpicer, eum prodiiſſe, quando jam tum Ao. 1673. annum agens quartum à ſexageſimo, nobis in vita huic Bibliothecæ præfixa deſcribitur Aproſius, alienoq; in ea concinnanda etiam auxilio uſus, ob feſſam credo ætatem, memoratur. Unde fato functum potius ſit veroſimile, quamvis in Wittenii diario Biographico dies ejus emortualis (ut aliorum plurium) haud referatur. De eadem Bibliotheca vide eundem *Morhof.* cap. VII. p. 59. *Angelicus Aproſius de Vintimiglia, in Bibliotheca ſua, quæ tamen nondum edita eſt* iterumque c. XIV. p. 144. *Ejus viri Athenas Italicas, Bibliothecam Aproſianam, ita exſpectant*

ſtant viri docti, ut deſiderium amplius non ferant. Aproſianam tamen Bibliothecam extare, vel ex Catalogo Bibliothecæ Fogelianæ. A. 1678. jam edito cognoſci potuerat, quem utique non ignotum fuiſſe Clariſſimo *Morhofio*, noſcitur ex ejusdem *Polybiſtoris* l. 1. c. V. p. 37. ubi diſertè commendatur. Ipſa vero illa Bibliotheca Aproſiana in 12. Bononiæ, Italico idiomate edita, A. 1673. præter vitam Aproſianam continet initium Catalogi donariorum, quibus Bibliothecam ipſius ad XII. librorum millia tunc habentem, auxerunt viri docti, quorum nomina, elogia, & ſcripta, recenſentur ordine alphabetico prænominum, usque ad lit. C. duntaxat inchoatam, nec abſolutam, intermixtis digreſſionibus ſubinde variis, curioſis æque ac ſæpe ſatis etiam prolixis. Quo in genere, ne κακοζηλίαν aliquam nunc affectaſſe videar, ex diverticulo in viam, ab Aproſio ad Magliabeccum meum revertor. A quo totis fere ſex annis ſequentibus nihil ad me litterarum pervenit. Quamvis interim minimum ſexies ad ipſum aliquas exararim, quarum ſingulis emendationes & additiones promiſſas majorem in modum urgebam: & ternas quidem ex illis, una cùm adjunctis faſciculis, per diverſos amicos, diverſis itineribus transferendas dedi. Quorum binos minimum dejeraſſem rectè curatos, licet de tertio faſciculo quoque, ut & de litterarum aliquibus dubitem parum. Ac tamen Anno 1680. demum paucæ ad me lineolæ à tam dilecta manu d. 10. Martii ſcriptæ pervenerunt, una cum Montanari de Cometa ultimo obſervationibus, quas Petri Kavinæ ſequenti anno, ſed ſine litteris ullis, ſunt

inſecutæ. Quemadmodum & ſuperioribus illis nihil nec de meis faſciculis, neque litteris, neque Anonymis aut Pſeudonymis continebatur. Acceperam tamen anno ſuperiori à beatæ memoriæ Viro, eruditione non minus, quam pietate martyrio proximæ claro, *Antonio* REISERO, epiſtolam ex Italico ſermone, quoniam ejus erat imperitus, in latinum à me convertendam, *Dni. Magliabecchi* 1679. d. 6. Junii exaratam ſatis longam. Ejus ſtatim in principio grates mihi agebantur, pro memoria quam conſervaſſem ipſius, & cum inſigni vehementioris affectus erga me reciproci profeſſione addebatur, *quod accepiſſet librum meum, & recordaretnr legenti obſervatos multos errores, quos ſi vellem mihi ſignificaturus eſſet.* Ego verò nil æque me velle, Dno. REISERO ſtatim indicavi, rogans etiam atque etiam, majoremque in modum exquiſitisſimis precibus contendens, ne reſcribens obliviſceretur idem meo nomine precari, ſimulque commemorare, quoties idipſum, ut ante jam memoravi, per litteras fruſtra petiiſſem, quæ cauſſa eſſet unica, cur nunc iteratis ipſum non gravarem. Adderet quin etiam, me à nemine mortalium plus ſubſidii in hoc argumento ſperare: utpote quem conſtanti fama percepiſſem ultra XV. millia librorum poſſidere ipſum, & cum præcipuis omnibus totius orbis litteratis aut commercium litterarum colere, aut certe quid ipſi rerum agant & moliantur, per eos cum quibus id coleret, magis quam ullum hoc tempore alium in explorato habere. Denique ut datam primis ſuis ad me litteris ultroneam fidem urgeret eo magis, quoniam à plurimis

ex

ex Italia redeuntibus mihi nunciatum eſſet, quod *infinitos errores in hoc opuſculo ſibi deprehenſos* diceret. Id ipſum me perlecti non obiter opuſculi habere indicium longe gratiſſimum, ſed eam præterea gratiam præſtolari, ne mihi diutius emendandi tot errores facultatem eriperet, antequam deſuper ab ipſo certi quid haberem opus illud non facile recenſuro. Quæ uti Vir ille, ſanctiſſima fide tunc & lubens recepit: ita beneficium verbis initum re comprobaſſe ne dubitem, conjunctio noſtra, & comperta in omni ejus vita religioſiſſima promiſſorum obſervatio non ſinit. Ex illo tamen tempore non neglexi etiam per alios omni opportunitate data idem urgere. Quemadmodum inter cæteros etiam *Venerabilem Dn.* SPIZELIUM, cum quo Dominus Magliabecchus litterarum ſibi commercium frequens intercedere, ad Dn. Reiſerum perſcripſerat, hac de re per litteras compellavi. Et coram quoque inter alios *Jeſuitarum aliquem, nomine* celeberrimi Sanctorum vitis & Elogiis editis *Papenbrochii* de aliquibus me compellantem, recordor hac eâdem petitione gravatum à me abiiſſe, arrepta occaſione, quod ipſe à Dn. Magliabecchi etiam de hiſce notatis in ſcripto illo meo erroribus commemoraſſet. Idem & ſæpius per alios, quorum haud omnium amplius memini, factum, donec tandem *cognato meo, mihi & eruditionis omnigenere, & pietatis ultra ætatem exactæ raritate cariſſimo, Dn. Danieli Guſtavo* LIPSTORPIO *Med. Doctori*, Pariſiis ad Italos tendenti, anno ſuperiori feſtinatiſſimas paucas lineolas commendatitias ſimul & monitorias transmiſi. Qui-

bus

bus tandem effectum, ut ſuaviſſimo charactere Veteris amici oculos & animum denuo, poſt tot annorum intervalla oblectare mihi contingeret. Siquidem *d. 20. Septembris anni ſuperioris* ſcriptæ ab inclyto *Dno. Magliabeccho* mihi ſunt allatæ. Ex quibus ut amorem mei conſtantem omnino lætus perſpexi: ſic indolui merito multum, & excuſari calumniæ inſtar mihi moleſtæ, quod de infinitis erroribus, hyperbole Italico ſermoni perfamiliari, ad me perlatum nunciaveram, juxtaque ſanctè affirmari, nihil neque litterarum neque librorum aut faſciculorum meorum ſibi redditum unquam, maximè verò omnium, *aliquot annotationum ad hocce meum Scriptum tranſmiſſa olim folia, ad me neutiquam perveniſſe.* Quare non potui non *iterato Dn. Lipſtorpium* Româ Florentiam forte ſe tranſiturum ſcribentē ſummopere rogare, ut Clariſſimum virum, cui tantopere placuiſſet, ut nihil ei denegaturus ille videretur, ſuo meoque nomine exoraret, ne gravaretur repetita lectione librum meum atque cenſurâ dignari, poſtquam illius ſecundam editionem locupletiorem longe priori nunc molirer. Quod & probè curatum à *Cognato meo, probitatis omnis exemplo ſane mihi probatiſſimo*, ſatis certo foret, niſi alia ipſe via iter ſuum remenſus Patavium eſſet. Quo magis nunc hiſce *precor, ut huic officio ſuccedant omnes, qui apud hunc Virum aliqua vel gratia, vel Amicitia, vel Auctoritate pollent.* Enimvero, uti jam dixi, *à nemine mortalium plus ſubſidii mihi, hoc in genere ſcribendi promitto*, & promittendum facile cenſeo. Adeo Bibliothecam ipſe vivam in pectore quod

geſtet

geſtet ſuo, communi ſummorum quorumcunque hujus temporis ſcriptorum tot publicis jam teſtimoniis abunde conſtat, ut ea ſi huc coacervare vellem, opus integrum non parvæ molis inde conficere omnino poſſem. Unicum tamen ſolum, idque recentiſſimum, & forte ipſimet adhuc ignotum, ex eo quem modo ſub manibus verſo doctiſſimo *Polyhiſtore Morhofiano*, quin huc adſcribam à me non impetro. Utpote præſenti meo argumento apprime conveniens & accommodatum. Exſtat illud *lib. 1. c. XV. ſub finem*, hiſce verbis. *Noſtro tempore* ANTONIUS MAGLIABECCUS *foris multis per totum orbem litteratum virorum doctorum amicitiis innotuit, domi ex omni gente Virorum doctorum concurſus eſt. De cujus inſigni humanitate, admirabili eruditione videatur Gregor. Leti. Ital. regnante. part. 3. lib. 4. pag. 423.* Quæ cum ita ſe habeant, Quæſo Te, mi Magliabecce, ſi quid adhuc amas aut me, aut litterarum ſtudia, & publica commoda, & nominis gloriam tui tam illuſtrem, quæ cuncta ſcio pro tua animi conſtantia Te amare quam maximè: *da hoc precibus meis, & votis tot Eruditorum mecum una vel tacite id flagitantium, vel expreſſis etiam vocibus litteriſve petiturorum, ut ne gravere*, quantum per alia graviora negotia potes, *emendandis tot erroribus meis manum ſalutiferam tuam adhibere*, ſimulque *additiones*, quæ ex eo, quo priſtinæ illæ tam infeliciter aberraviſſe poſſint tempore, multum increviſſe queant, *ſecuriori via transmittere*. Vel publicis tabellariis ad hoc ipſum uti licebit, ſi alii certiſſimi homines deſint. *Non erit*, crede mihi,

mihi, hujus *portorii ſumtus* ullo modo *mihi gravis : non magis ac multitudo errorum* denunciatorum. Quos ſane ut aliquos ipſe jam detexi, aut aliorum opera detectos habeo: ita non minus à Te mihi confirmatos & reformatos novis *proſequar gratiis,* quaſi noviter indicatos, *quanto plures, tanto gratiores habiturus.* Præterquam enim quod, ut ipſe ſcribis, & quilibet facile agnoſcit, in tali argumento non poſſint non aberrationes pluſculæ committi: etiam ea eſt illius generis ſcribendi ratio peculiaris, ut potius iis, ex quibus hæc collecta ſunt, quam collectori, fidem auctorum neque præſtare obligato, neque ſe obliganti, debeant plerique neceſſario imputari, ſolam collectionis forte in tanta copia confuſionem, aut negligentiam, facillimè apud æquos Judices purgaturo. Quemadmodum ergo ſi liberis noſtris vel naturæ vel caſus alicujus injuria nævi aut vulnera inferantur, eadem medentibus grates oppido maximas habemus: ita quidni Tibi ego meis libris, unicis illis chartaceis liberis, & ingenii ac induſtriæ in cœlibatu meo, fœtibus meis, nævos abſtergenti, & vulnera ſolidanti, *quanta poſſim animi grati ſigna reponam.* Quod faciam *profecto ſedulo, ſi ſpem meam, & tot bonorum, implere non dedignabere. Quam ut Tibi mentem Deus, conatus omnis boni auctor atque fautor optimus, inſpiret, inſpiratamque ſucceſſibus optatis donet, honori ſuo & commodis multorum, etiam atque etiam precor.* Atque hoc etiam addo, *Amicos inſuper tuos,* & beneficiis tibi obſtrictos eruditos, qui ſane rei litterariæ atque librariæ fautores erunt, atque curioſi præcipui plerique totius

Europæ

Europæ omnes, *ad idem officii* publico Tibiq; præſtandi *munus ut excites atq; impellas.* Quemadmodū ſane ad hoc ipſum currentes jam ſponte ſua plurimos ſum expertus, quorum beneficia partim jam data, partim in ſpe adhuc poſita, prorſus hic præterire non debeo. Nempe quantum memoria (ut alias mihi nimis labili, ſic recentibus modo variis domeſticis ærumnis miſere diſtracta & perturbatâ) nunc conſequi licet, omnes *quotquot in hunc usq; diem, inde ab edito meo libello aliquid ſubſidii vel minutiſſimi attulere, fideliter commemorabo,* ut omnes videant, quanto candore, quidquid inpoſterum ſim accepturus, publica confeſſione cuilibet acceptum ferre ſim paratus, etiamſi nihil mihi de univerſo illo opere, præter hanc fidei & gratæ mentis commendationem reliqui, ea ratione manere debeat. Itaque *ut temporis ſerie conſervatas Epiſtolas* ad me *doctiſſimorum virorum* ſelectiores *recenſenti*, oblata *cujusq; beneficia vel promiſſa ſeſe ſiſtent,* ſic eadem breviter hic *exponam.* Nempe *primus* omnium mox ab edito meo de Anonymis & Pſeudonymis ſcripto, nec provocatus me per litteras compellavit, *eruditionis Omnigenæ laude celebratiſſimus, Lipſienſis Academiæ Profeſſor,* JACOBUS THOMASIUS, applaudens conatibus meis, & aliquas etiam animadverſiones ſtatim adjiciens, ac plures editioni renovandæ promittens additiones. Quem *utinam mors non eripuiſſet* nobis, haberemus ſine dubio locupletem acceſſionum editioni ſecundæ augendæ penum, à tam induſtria prompta, & larga manu ſperandam. Quamvis nec illa tamen adeo ſpe in totum ex-

cidiſſe

cidiſſe me ut credam, facit ſuperſtes *doctiſſimi parentis hæres doctiſſimus filius J. U. Doctor.* CHRISTIANUS THOMASIUS: qui ſi paternæ famæ atque laudis, ut in aliis multis, ita & in hac erudita beneficentia hæredem ſeſe gerere voluerit, habebimus quo etiam in re noſtra repetamus illud Syracidæ. XXX. 4. Ἐτελεύτησεν αὐτοῦ ὁ πατὴρ, καὶ ὡς οὐκ ἀπέθανεν. ὅμοιον γὰρ αὐτῷ κατέλιπε μετ᾽ αὐτὸν (*Mortuus eſt pater ejus, & quaſi non eſt mortuus. Similem enim ſibi reliquit.*)

Thomaſium excepit *M. Joh.* REISKIUS, ſcholæ tunc Lunæburgenſis, nunc Guelpherbytanæ Rector digniſſimus, monitis quidem hactenus paucis ſolis, in arrham tamen plurium ſecuturorum datis.

Tertius fuit *M. Martinus* LIPENIUS Gymnaſii Regii Carolini quod Stetini eſt, tum temporis Rector & Profeſſor, nunc Illuſtris Lubecenſis Scholæ regimen habens, ſimili additionum aliquarum arrha me honorans.

Exin *Conſultisſimus J. U. Dr. Caſparus* THURMANNUS, ſalutato prius coram, deinceps aliqua Lubeca miſit ferè quotannis additamenta, quæ abhinc annis jam aliquot intermiſſa, nunc cumulatim, ut donet etiam atque etiam peto.

Similiter *Excellentiſſimos* affinitate ſibi mutua, æquè ac amicitia mihi junctos, *Viros JCtos Dn. Chriſtianum, Martinum* DORNIUM, Regiæ Maj. Danicæ Conſiliarium, & *Dn. Chriſtophorum* SCHRADERUM Conſiliarium Illuſtriſſimi Principis Cellenſis rogo, pro id od, quæ mihi cum utrisq; amicitiæ, cumque hoc pater-

ternum hoſpitium & fraternum contubernium, cum illo etiam conſortium Academicum intercedit, ut donaria per vices mihi transmiſſa, & aliquandiu intermiſſa, tanto majoribus nunc acceſſionibus ſuis, & aliorum, quibus id communicare queant, cumulent. Quemadmodum ſane te nominatim compellare nunc cogor, honoratiſſime DORNI, ut Dn. Collegam nuper tuum, fama ſuper æthera notum, at nunc etiam Regiæ Majeſtatis Danicæ Conſiliarium Status *Excellentiſſimum Dn. Marquardum* GUDIUM eo permovere allabores, ut ex ſua ditiſſima eruditionis atque librorum rariſſimorum penu, illos quos poteſt theſauros uberrimos impertiri mihi, vel publico potius per me, ne dedignetur. Quod ſi præſtiteris, quantum & illi, & Tibi debeat hoc nomine Reſpublica litteraria univerſa, prædicare quibus potero modis, non obliviſcar.

Tuas nunc dulciſſimas litteras quando relego, *Conſultiſſime Dne. Gerharde* VON MASTRICHT, & nuperi admodum alloquii, brevis quidem, at ſuavis ſane quam maximè recordor, juxtaque tot ante beneficiorum ſummorum, ulterioribus etiam promiſſis cumulatorum, memoriam an vero ſpem gratiorem mihi refrico, non poſſum quin vel nunc bene precer etiam manibus dulciſſimi mei quondam familiaris *J. U. Licentiati Henrici* BROKES, quo parario ultroneo ſum tuæ inſinuatus amicitiæ, ſimulque vel turnus adeo plures inſtructiſſimas, meis à te olim auctis tam liberaliter copiis, confertim explendis, mihi promittam. Modo ne Amplisſimi, & ab hoc genere laborum alieniſ-

ſimi muneris magnitudo, ab hacce ſpe noſtra, tuaque mihi cognita paratiſſima voluntate, me in omnibus adjuvandi, aliquid detrahat. Quod ut male metuere me facit, is qui Amorum artificioſo doctore teſte, *Res eſt ſolliciti plena timoris amor:* ita quod victurus etiam ſis cogitationes meas, ſperare me indefeſſa tua laborioſitas, & renovata ultimis uti litteris, ita ſermonibus pollicitatio jubet. Quibus etiam fretus Deo Te, ſucceſſumq; votorum meorum omnem hunc omnino commendo.

Interrumpit hic ſeriem benefactorum luctuoſa memoria, viri Eruditione famaque ſcriptorum ſuorum ſane *illuſtris*, *Hermanni* CONRINGII; cujus in Epiſtola 7. Febr. 1676. ad me ſcripta poſt plurima, quæ premere me modeſtia jubet, hæc lego. *In argumento illo quod occupaſti, de ſcriptis Anonymis, & Pſeudonymis elaborando, velim pergas. Fieri enim quidem non poteſt, quin ſæpe fallant te ſive ſuſpiciones, ſive narrationes aliorum (quin imò notata jam à me ſunt nonnulla παρορáματα) ſed non eſt hoc tanti, ut propterea manum ab iſthac tabula removeas. Non ſane prudens aliquis tibi id ſuaſerit, aut æquus non etiam erroribus dabit veniam.* Sed hujus quidem etiam παρορáματα notata mihi mors invidit. Ad vivos redeo. Quos inter nunc ſeſe offert M. *Chriſtianus* WEISE Weiſſenfelſæ tum temporis P. P. nunc Rector in Patria ſua Zuiccavia meritisſimus, à cujus liberalitate utinam æquè inexpectatas acceſſiones auctoribus noſtris detegendis, ac Bibliothecæ meæ ex donatis ipſius elegantisſimis ſcriptis accedant!

Jam

Jam ad Te venio, *Venerabilis Dne. Affinis Joannes Georgi* OLEARI: cui ut multa jam in hoc argumento debeo, qua per publica tua ſcripta, qua per privatas litteras mecum communicata, ita plurima etiam ingenui animi (ſi Ciceroni credamus) more laudabili debere peropto; longiorem ad hoc ipſum tibi vitam exoptans, quam illi, cujus adjacent tuis epiſtolæ, *Friderico* Geſenio, Garlebenſium Superintendenti contigit. Cum quo ipſo etiam ſpes mihi eſt ſane non parva intermortua: quam ſi filii patriſſantes explere poſſint, erit unde illis, & mihi, & publico gratuler, & manibus dilectiſſimi parentis.

A Tua certe, *celeberrime Martine* HANKI, ſcriptorum notitia, editis Orbi Litterario ſcriptis longe doctiſſimis notisſima, non parum hic mihi promitto; quodque commodo tuo fiat, majorem in modum peto.

Et quamvis etiam tuæ olim ad me transmiſſæ, tertia jam editione publicatæ dudum per ora virum volent, de *Adeſpotis, pſeudepigraphis, & ſuppoſititiis ſcriptis Conjecturæ, Conſultiſſime Dne. Johannes* DECKHERRE: non plane tamen nullam inde conjecturam facio, reſtare poſſe aliqua inſuper mihi transmittenda, quibus aut explicari, aut expleri, aut vindicari nonnulla ex publicatis posſint, ſiquidem renavare hanc operam velis, pene ut videtur abdicatam. Sane quidquid impertiveris, ita meis inſeretur, ex mente quam indicare non gravaberis tua, ut facile ſis agniturus, *nihil in animo haeſiſſe unquam meo ex* iis, de quibus in ultima dedicatione tua publice conqueſtus es, *calumniosis*

nioſis ſcriptis, atq; Epiſtolis, mihi nec oculis unquam viſis, vel auribus aliunde perceptis, nedum ad animum tui amantiſſimum tranſmiſsis unquam, aut tranſmittendis. At enim non hanc, ſed *aliam* longe *fuiſſe* mihi, triſtioremque *cauſſam*, *unde*, ut ipſe ſcribis, *amœnioris mecum commercii declinatio*, *& mox*, *cui non iniquè indoleas caſus*, *acciderit*, partim *ex Nobiliſſimi Dni. Georgii* SCHROTERINGII J. U. L. Amici mei longe chariſſimi litteris jam factus eſſe debes certior, imò certisſimus, & in poſterum etiam fies, ſi opus eſt magis.

A Te quoque, ſeculi hujusce noſtri Eruditorum mihi cognitorum ſane decus eximium, & Ornamentũ inſigne, *Georgi Guilielme* LEIBNUTZ, ut dilatas huc usque admonitiones & additiones nunc flagitem, adjacentes proximè ſuperioribus Deckherrianis litteræ tuæ monent, per quas non minus ac per iterata tua, quibus me huc quoties adveniſti colloquia honoraſti, tanta ingenii vis, lectionis eruditæ copia, morum ingenuitas, judicii acrimonia, mihi fuit probata, ut nullius pene amicitia magis erudite me delectatum eſſe, ac quotidie delectari optaſſe, hic omnino nequeam diſſimulare. Fac ergo ut etiam in hocce meo libro aliqua noſtræ poſſint extare amicitiæ, tuæque tam latè jam patentis eruditionis argumenta, quæ apud me certe ſemper extabunt, dum vita conſtabit mea.

Jungerem hic inſigne litteratorum decus *Chriſtianum* DAUMIUM, cujus litteræ ſuperioribus adjacent, niſi & deſtinatum ab ipſo mihi additamentorum ad auctores meos cumulum, memorato ſupra Dn. *Johanni Reiſkio* traditum, neſcio quis caſus, & ipſum

ipſum etiam Virum, mors mihi meisque conatibus adjuvandis, imo reip. litterariæ, dolorifico fato pridem abſtuliſſet.

Eam verò jacturam aliquomodo conſolatur ſuaviſſima *Guilielmi CAVE* nunc ſubiens animum ex conſpectu litterarum ipſius primarum recordatio. Cujus ſane Viri ut Epiſtolæ complures doctiſſimæ, eruditione alia varia, ſic additis ad auctores meos detectos aliquot ignotiſſimis ante mihi decuriis, me ditarunt, præterqeam quod publica illius ſcripta, pleraque mihi etiam liberaliſſima largitate donata, non parum profuere. Quo magis nunc etiam Deum precor, ne permittat feſſam ejus ætatem, & defectas vires impedire, quo minus jam affecta, tum publico, tum mihi privatim deſtinata, porrò ita poſſit abſolvere, quo novam humanitatis atque doctrinæ, & beneficentiæ tam inſignis, quam inopinatæ ex tam longinquo, in me nihil promeritum, collatæ, collaudationem habeam una cum opere hocce propoſito mea publicandam.

At verò neque tu nunc indictus & non compellatus abibis, *Clariſſime Dne, Daniel Guilielme* MOLLERE, tuque *Joh. Friderice* HEKELI, & *Joh. Leonarde* MODEL: quorum ut intra promiſſa humaniſſimè oblata fere adhuc ſubſiſtit hucusque deſiderata nunc auctorum detegendorum locupletatio: ſic eandem veſtris quoque ſubſidiis adaugeri nunc officioſiſſimè peto.

Tibi verò etiam, *plurimum Venerande Dne. Johannes* DIECMANNE, grates hic publicas ago, pro transmiſſis jam aliquot decuriis auctorum detectorum

curioſiſſimis: quas ut aliis porrò augere velis, publico emolumento & honori tuo, quando ipſe nullatenus id demereri adhuc potui, humillimè rogo.

Neque minus & Te *Reverende plurimum Theophile* SPITZELI, cujus ex ſcriptis publicis, ut aliqua jam mihi decerpſi, non oppido parum notabilia, ſic occaſione tam variæ in hoc argumento lectionis pluſcula inſuper alia collecta Tibi eſſe, omnino mihi perſuaſum habeo. Quorum ut ante aliquot annos humaniſſimis ad me litteris factam ſpem expleas, nunc eo etiam peto ardentius, quo plus mihi periit, in amiciſſimo Tibi, tuique commercii parario dum viveret meo *D. Antonio* REISERO. Cujus ſiquidem hæredes ex Manuſcriptis ipſius adjuvare me poſſent, ac vellent, foret cur minus doleam publicam ſimul ac meam in tam amico, gravi, pio, & erudito viro jacturam. Quam tamen & uberius longe ſarcire queat, & ne ullum prætermittat hoc faciendi locum etiam atque publico eruditi orbis potius, quam meo ad id minus reſpiciendo nomine rogatur, ejusdem *inclytus* ſucceſſor, *D. Johannes Fridericus* MAYERUS, Wittebergenſis olim, at nunc Kilonienſis Academiæ P. P. Paſtor hic ad D. Jacobi, & Scholarcha meus honoratiſſimus famam qui terminat aſtris. A cujus infinita lectione, ſtupendaq; laborioſitate (ne minus ad præſens deſiderium meum etiam requiſitas, in ipſo abundantes, incomparabilis facundiæ, ingeniique dotes alias, levius hic quam par eſt attingendo deteram, alias oportunius D. V. celebrandas) nihil non habeam expectare, ſi per graviores, atque ſanctiores longe ſuas occupationes, hiſce tantillum levioribus ſtudiis vacare ſuſtineret. Quod

ut

ut ego qua par eſt verecundia, ne iniquus ſim præ ſtudio, nunc oro, ſic alios mecum exorare opto.

Claudat hoc tandem agmen, æſtate ſuperiori, neſcio à quo ad ædes meas allatis Gotha litteris, mihi ſuam offerens etiam eruditam operam V. Cl. *Wilhelmus Erneſtus* TENZELIUS, Controverſia de Arcani diſciplina contra Scheelſtratum, editaque nuper doctiſſimo de Symbolo Athanaſiano libello mihi cognitus ante ſolummodo, nunc vero *transmiſſa parte additamentorum ad Dn. Deckherri conjecturas*, factus etiam commendatior, & ad notitiam interiorem deſiderabilior: quas quidem ſchediasmatis ante biennium jam editioni parati Caput IX. conficere debuiſſe ſcribitur. Qui adeo unicus eſt ex omni ſuperiori numero, cujus humanitati reſpondere hucusque diſtuli: tum quod ipſe plura promittendo, videbatur eo usque dum omnia accepiſſem, hujus officii veniam indulgere, tum quod ego publicè nunc reſpondendo illud explere me poſſe arbitrabar, neſcius etiam opportunitatis, meas ad ipſum rectè curandi. Quod ne ſecus interpretari Vir Clariſſimus, nec ſuam mihi liberalitatem, quavis aliena minus gratam & honoratam exiſtimare velit, hic adeo publicè rogatum volo.

Atque hi quidem ſunt, quos in litteris meis invenio vel donatores, vel promiſſores, hujus generis munerum omnes. Niſi quod omnium inſtar unus adhuc ſupereſt laudandus, tum in hac, tum in ſequentium coram mihi ſuam munificentiam exhibentium claſſe, largitatem univerſorum longe ſuperans, *Laurentius* NORMANNUS. Is poſtquam aliqua ſparſim ante

præludia dediſſet, tandem larga manu non decurias, ſed *centurias integras complures* agminibus meis ſuccenturiandas, Ulyſſeo ad me more viſens obtulit, ac poſtea etiam per litteras ſubinde auxit, adeo ut *ad millenarium* ejusdem munera *ferme* appropinquent. Et quamvis in tanto numero ſint etiam ab aliis mihi, vel eorundem auctorum quos ipſe uſurpaverat propria lectione detecti: hucusque tamen ferè dimidia transmiſſorum pars ipſi ſoli debetur, & magna certè debebitur, credo, ſemper, adeo ſunt ex reconditis aliqui ſacrariis & ſecretioribus eruditionis adytis extracti. Quo nomine uti peculiares omnino gratias non meas modo, ſed Orbis eruditi univerſi plane meretur: ita ſi quid etiam tantis divitiis ulterius, quæ eſt illius in hoc genere magnificentia, ſuperaddiderit (nam ut modum benignitatis cogitans, remittam ulterius quid flagitare, ipſa æquitas poſcere videtur) eo etiam ulteriorem ac uberiorem publicam celebrationem Jure ſuo expoſcet, imò antequam expoſcat, impetrabit. Quandoquidem & hoc nomine illi ſane non vulgarem debeo gratiam, quod ingenuo plane candore, notatos etiam aliquot typographi, amanuenſis, & ſtyli adeo mei errores mihi detexit ultro, cum ſimile officium abs tot aliis, majori vitæ uſu & familiaritate mihi junctis, fruſtra efflagitaſſem. Quod ut apud me nunquam intermoriturum beneficium habet collocatum, ita quin animo lubenti, prolixius ſit ad me ſtudia ſua in hoc genere porrò delaturus, haud quaquam dubito. Illud interim & ipſum, & reliquos omnes litterarum commercio mihi tam munifico hucusque cognitos,

Viros

Viros Omnium Ordinum honoratiſſimos, iterum iterumque rogare debeo. Ne ſuccenſeant meæ aliquot abhinc annis ſibi compertæ vel raritati, vel intermiſſioni in hoc genere officii, in quo non tam voto meo, quam fato, me ſegniorem, ac tandem plane quaſi emortuum fuiſſe, ſciant aliquot jam retro annis. Ex quo nempe arthridide aliisq; morbis, neq; non domeſticis ærumnis, in publicum plus ſatis magna ſui parte vel notis jam, vel à me certe nunc non divulgandis, ſubinde adeo fui, corpore, animoque proſtratus, ut de ſalute potius & vita mihi quandoq; conſervanda magis, quam de ulla re alia cogitandum inter occupationes quotidianas laborioſiſſimæ Profeſſionis eſſet. Qui factum ut *decennio fere* jam abhinc integro *ſegnior*, *quinquennio* verò etiam *proximo nullus* omnino, *in* ſcribendo, vel *reſpondendo*, *ad eruditas* amicorum litteras pene fuerim: quin adeo *ſpem perficiendi hujus de Auctoribus detectis*, tam operoſi *operis*, *inter derelicta* plane, *ac deſperata repoſuerim*. Et ſane haud mediocriter *lætabar*, quando à memorato ſuperius librorum helluone tanto, *Angelico Aproſio*, ſcriptum aliquod ejus argumenti prodiiſſe, mihi à reduce ex Italia doctiſſimi de Tibiis veterum operis auctore Celeberrimo Dano, *Caſp. Bartholino* juniore, jam ante decennium & quod excurrit, referebatur, expreſſo etiam *libri titulo*, *La Maſchera ſcuoperta*, id eſt, *Larva detecta*, quo primum Conſultiſſimi Lipſienſium Profeſſoris *Geisleri* Schediaſma, meum ut extorſerit, pag. 50. I. 167. Anonymorum meorum enarravi. Enimvero conſimilis inſcriptionis Opere novo, penitus nunc ex-

hauſtum iri,quidquid me fugerat ex tam ubere fluento
præterlapſum,mihi perſuadere geſtiebam. At cum
inquiſitione facta, nihil etiam illud eſſe intellectiſſem,
reculo tertium Dn. *Joh. Deckharri* libello, cum *Vir-*
dungii,Bœliiq; circa id argumentum novis etiam curis,
iterum in ſpem erigebar, aliquem tandem ſe proditu-
rum, qui totum hoc ex profeſſo ſcribendi genus occu-
pans,lampada ſibi à me tradi non invitus pateretur.Ego
certe non ſemel omni ſuperiorum temporum tractu
optavi, aut ambivi aliquem, in quem omnia mea,meo-
rumque Amicorum hujus argumenti collectanea or-
dinanda & edenda transferrem. Usque adeo, ut vel
ab extremo ſemotis orbe Britannis eum arceſſiturus
fuerim, aut potius arceſſere laboraverim, quando nec
domi, nec in vicinia reperiebam. Enimverò non alia
mente ad Clariſſimum Dn. *Thomam Hyde*, per pluri-
mum reverendum Dn. D. *Guilielmum Cave* litteras,
etiam ubi minus ad alios me provocantes exarabam,
dedi, quam ut ſcirem, an in hoc genere, quemadmo-
dum ex Dni. *Morhofii* ad me ſcriptis intellexeram, ali-
quid moliretur, quod meis recipiendis locum daret.
Verum ad eas ego litteras reſponſi haud quidquam im-
petravi, niſi quod à *Dno. Cave* reſcriptum eſt,nihil ab
eo ſimilis argumenti tentari. Unde hac ſpe quidem de-
jectum me plane cognovi,æque ac nuper iterum etiam
multo locupletiore, de *Clariſſ. Dno. Adriano* BAIL-
LETTO, Bibliothecario Advocati in Parlamento Pa-
riſino Generalis Lamoignii concepta. Illius enim
curioſiſſima novem volumina quibus editis in 12. Pa-
riſ. 1688. & ſeqq. annis *Jugements de Sçavans ſur les*

Ouvrages

Ouvrages des principaux Auteurs, titulum fecit, locupletandis Anonymis & Pſeudonymis meis, ut talia ſoleo, evolvens, animadverti peculiare *opus* non ſemel *promitti, des Auteurs deguiſez*, ſive *de auctoribus disſimulatis*, aut perſonatis: videlicet, quantum nunc recordari licet, *Tom. 1. p. 475. dubie* quidem, at *confirmatius* etiam *Tom. 2. part. 2. pag. 280. Tom. 3. pag. 22. Tom. 4. part. 1. n. 1095. pag. 10.* & *part. 2. pag. 386. n. 1161.* & *p. 477.* Quorum locorum aliquibus partim memoratos mihi, partim adhuc intactos aliquos notari obſervabam; juxtaque meum hujus argumenti opuſculum, & ubi maximè utiliter, appoſiteque poterat, non citari, alienioribusque locis, & quandoque ita adduci, ut aliena potius fide, quam inſpectione propria videretur allegatum. Unde in ſpem me adduci gratiſſimam facile ſum paſſus eam, fore ut Vir Clariſſimus aliquammulta hujus argumenti collegiſſet, etiam meis laboribus non attentis, adeoque cum illis parum commune habitura. Quæ cum ſine dubio editioni deſtinaſſet, oportune admodum illi mea me ſubmiſſurum, & hac ratione huic oneri meos impares nimis humeros, optima & Reip. litterariæ innoxia ratione ſubducturum, imò cum fructu etiam ejusdem & lucro. Quando cum ab aliis multis ad hanc rem præſidiis, Virum huic rei Bibliothecariæ ratione muneris ex profeſſo vacantem, cui me ſubciſivas ſolum horas impendere oportet, inſtructiorem me longe, tum à libris inſtructiſſimum cognoſcebam. Quippe qui degeret in Urbe illa, quæ ſola privatarum Bibliothecarum plus quam univerſa Germania, aliaque regna continere, jam

ſuo

ſuo tempore à *Ludovico Jacobo Cabilonenſi* narratur. Cui ſi maxime fidem denegare, cum Clariſſimo *Morhofio Polyhiſt, lib. 1. c. III. p. 23.* non ſine ratione vellem, attamen plus illic librorum ad hoc ſcribendi genus pertinentium, ſingulas aliquot Bibliothecas, quam Hamburgæ univerſas habere, fides oculata me credere dudum coëgerat. Quo accedit, quod uti modo citato loco *Morhofius*. p. 27. ex vero ſcribit, etiam, *Galli in eo liberales, apud quos vel privatæ bibliothecæ ad publicos uſus conceduntur.* Ne dicam ipſis Gallis vix alios magis, ut alia multa ſtudiorum genera, ſic illud Bibliothecariæ rei locupletaſſe operibus operoſisſimis. Quale vel illud, nec *Morhofio* Polyhiſt. lib. 1. c. XVI. p. 189. nec mihi viſum hucusque, at Clariſſ. *Bailleto commendatum* etiam opus, *ſex* ſpiſſorum *in folio Voluminum* exiſtit, quo Pariſienſis quidam *du Boulay de Academiis Galliæ, ac ſpeciatim Pariſienſi hiſtoriam*, conſcripſit. Ut alios in publicum editos, mole ac numero ſpectabiles, præ aliis tot aliorum de re libraria, nunc qua Gallicos, qua latinos Gallorum auctorum ſilentio involvam. Quamobrem hiſce ac pluribus aliis rationibus inductus, ab omnibus inde ad nos adventantibus ſedulo cœpi percontari, numquid tale vel edere vel editurum eſſe Dn. *Bailletum* inaudiviſſent. Cumque peroportune accidiſſet interim, ut memoratus jam ante chariſſimus ex merito, & cognationis Jure Dn. *Guſtav. Daniel* LIPSTORPIUS, Med. D. in Gallias ex Anglia transfretaret, in mandatis eidem haud neglexi dare, ut ipſus *Dn. Bailletum adiret*, ac de tota re quantum indagare poſſet, quantocyus

certiſſima

certiſſima quæque renunciaret. Is igitur 2. *Maji anni ſuperioris* ad me ſcriptis *adjunxit*, ab honoratisſima *Dni. Bailleti* manu *ſchedam*, *qua ſignificabatur*, jam *abhinc decennio ferè Latinum opus, ad conficiendum Tomum in folio* conſcriptum ſe habere hoc titulo. *Elenchus Apocalypticus, Scriptorum Pſeudonymorum, in tres partes diſtributus quorum comprahendat.*

1. Larvatos ſeu Cryptonymos, qui fictitium ſuis,

2. Plagiarios, qui ſuum alienis,

3. Impoſtores, qui alienum ſuis operibus nomen impoſuere. Ejusq; operi *parti primæ* nunc *edendæ ſe*, repoſito etiam interea temporis altero illo, jam ad nonum volumen usque continuato de Judiciis auctorum ſcripto *inſudare*, ſed *Gallice* verſæ, & correctionibus, additionibus, ſubtractionibusque variis mutatæ. Eam *tomos binos, formæ*, uti vocant, *quartæ daturam*, cui *alii bini* quaſi πάρεργον ſint *addendi*, eorum auctorum, qui verſione aliqua, vel initialium litterarum ſolarum, vel ſocietatum in quibus agebant, vel aſſumtorum inde aut alias varie nominum expreſſione aut aliqua deſcriptione alia ſola ſe manifeſtaſſent, &c.

Hiſce adeo lectis, ego plane jam Voti mei me compotem factum exiſtimans, quamprimum aliquid otii nactus eram, *exaravi ſubjunctas Num. 1.* litteras, extemporales quidem, attamen prolixas ſatis, me meaque deſideria circa hanc rem omnem ingenuè ut in animo erant meo appertiſſime patefacientes: quas adeo confeſtim ruri etiam deproperatas, in urbem attuli, & convaſatis quæ inveniebam editorum aliquando à mè ſcriptorum plerorumque exemplis ſingulis,

Pariſios

Pariſios dimiſi. Cumque teſtudineo illæ nimis gradu, poſtquam adverſis etiam ventis abituræ naves hic aliquandiu detentæ eſſent, minus acri meo deſiderio reſponderent, ac interim digreſſo Dno. Lipſtorpio, Civis alius meus, & olim auditor, nunc Amicus longe chariſſimus *Dn. Bartholdus* WALTHERUS J. U. D. Pariſios Heidelberga pervenisſet, haud diſtuli ad eundem quoque ſuper ea re litteras dare, quibus *excerpta potiſſima ſuperioris ad Dn. Bailletum Epiſtolæ, cum epiſtolio novo* ſuperioris prænuncio, tradenda ipſi committebam. Quo facto *reſponſum* etiam *XVI. Kal. ſeptemb.* datum accepi, humaniſſimum quidem, quale jam ante transmiſſa ſcheda ſatis pollicebatur, ſed *quod* itidem *ſpe mea me dejiceret omni*, qua fueram hucusq; & mecum & apud amicos præmaturè nimis jam gaviſus. Etenim præterquam quod *Latinè concipiendi operis ſpem nullam relinquebant*, diſertis etiam verbis *Anonymos repudiabant* omnes, *Pſeudonymis* etiam *ad minimam totius molis partem reſtrictis*, per hæc verba: *quod illos duntaxat Auctores detegere conſtituerim, qui dolo malo, prudentes, ſcientes, fucum facere tentarunt, in adſciſcendis ſibi qua fictis, qua emendicatis nominibus.* Ac interjectis aliis iterum: *Plagiariorum opus, itemq; Impoſtorum in alios annos diſtuli.* De *ſcriptis veterum tam ſacris aut Eccleſiaſticis, quam profanis, quæ vel per oſcitantium librariorum, vel per ignorantiam Criticorum, vel etiam per temporum injuriam certis quibusdam Auctoribus attributa ſunt perperam, nihil dicam omnino; quia in illis nullam fraudem malam deprehendo. Cætera* in quibus *dolus ineſſe*

ineſſe videbitur, vel *ad Impoſtores*, *vel ad Plagiarios ſeorſim amandabo.* Fateor ſane ingratiſſimum hoc mihi nuntium accidiſſe, tantoque moleſtius, quanto exſpectatione mihi blanditus eram dulciore, fieri poſſe, ut derivato in alium onere hocce toto, cui me ſolum ferendo imparem plane cognoſcebam, ipſemet interim ad alia, quibus ſine colllegis ſufficerem magis, reſervare me totum poſſem. Adhuc tamen nihil deſperandum plane ratus, Deo Duce atque auſpice, (cujus unius adeo ductu, non meo in hoc inopinatum ſcribendi genus, neſcio quomodo pertractum me quo magis recognoſco, hoc miror magis) non uno etiam felici omine lætior, hoc quidquid ex præciſa tanta ſpe doloris animum occupare poterat nunc conſolor. Quorum facile primum non modo, ſed potiſſimum unum etiam eſt, quod articularibus doloribus, qui antea majorem anni partem vel tractandis me, nedum pertractandis meis in hoc argumento congeſtis, non exigua mole ſchedis atque libellis, inutilem efficere ſolebant, levatus ſum hoc ipſo anno, per auxilium inexpectatum prope ac miraculoſum lacteæ diætæ, contra conſilium amicorum & Medicorum omnium, ab hypochondriaco, cachectico, & morborum colluvie multiplici ad extremam virium imbecillitatem dejeceo inſtitutæ, tanto cum ſucceſſu, ut nemo non mecum quaſi renaſcentem me (utinam ſpiritu æquè vel magis quam corpore & ingenio) indies ſtuperet. Accedebant tam auſpicato huic omini mox alia, æquè inopinata. Eruditorum & bibliopolarum nempe, non modo ſecundam editionem operis hujus certatim flagi-

flagitantium,ad me delata nunciis atque litteris deſiderii multum habentia vota: verum horum oblata inſuper præmia, ex ipſis etiam illis oris, ubi quam minimum largitatis erga Scriptores vigere, jam olim mihi inter alios, Civis meus celeberrimus atque Fautor integerrimus *Joh. Fridericus Gronovius*, erat confeſſione ſui etiam exempli teſtatus: quando vix aliquot exemplaria, neceſſariis erga neceſſarios & amicos donariis, aut ἀντιδώροις ſuffectura, ſibi doctiſſimarum ſuarum, & ſi qua poſſint alia, vendibilium lucubrationum, ab editioni eorundem obſtetricantibus bibliopolis præſtari, ante hoſce XXII. annos conquerebatur. Quorum ab eo tempore animos factos eſſe magis prodigos, uti nullo ad me fuerat perlatum indicio, ita notabilem pecuniæ juxta & exemplorum ſummam editioni ſecundæ Anonymorum meorum inde offerri, per optimæ fidei, magnique nominis Pararios, tanto impenſius mirabar. Maximè verò omnium me jacentem adhuc erigebant, omnino inſignia aliqua, ipſi operi perficiendo oblata partim, & exorata etiam, ipſorum intra pomœria mea mecum habitantium doctiſſimorum Civium auxilia: quorum ſi plura quæpiam benigna ſors obtulerit, jam in portu navigare me confido. Etenim antea quidem eorum non niſi ſinguli, vel certe pauci, ſingulos vel certe paucos admodum auctores interdum, aliud agentibus fortè ſibi oblatos ſubmiſerant. Quorum tamen nullus ſibi vel minimam ſuæ operæ particulam periiſſe velim exiſtimet, eo quod jam ſingulorum nominibus hic recenſendis, ne ſi vellem quidem ſufficiens,ob memoriæ perfidiam,

nunc

nunc ob otii,in exquirendis ex tanto numero ſchedarum ad quemque pertinentibus laciniis inſumendi penuriam, atque parſimoniam, imò laudabilem ſi *Senecæ* credimus avaritiam, mihi multis ex cauſſis neceſſariam, abſtinere cogor. Quin potius ſciant omnes, me unicuique, ubi ad ſuppeditatos ab eo auctores, aut libros ſaltim commodatos, in ipſius operis elaboratione fuerit mihi perventum, ſuas omnino diſertiſſimis quibus potero verbis repoſiturum eſſe gratias, quando id, conſignata in hunc finem ubique benefactorum nomina, non poterunt me ſinere amplius oblivisci. Solum interim ex hoc ordine auxiliatorum & amplificatorum, quem ſalva pietate ſilentio præterire non poſſum, nunc habeo honoratiſſimum, & editione priori jam laudatum aliquoties, ac vel adeo cognationis jure mihi præcipuè, imò parentis loco habendum, Nobiliſſimum & Excellentiſſimum *Dn. Avuncuculum* meum, *Johannem* GARMERUM, Phil. & Med. Doctorem, ac Phyſicum hujus Urbis & polyhiatrum primarium: quem ut ſuam in omnibus aliis, neque non etiam in hoc genere benevolentiam continuare mihi, ne dedignetur, piè obteſtor, ad omnia viciſſim officiorum genera, privata vel publica, vel hac occaſione iterum iterumque me obſtringens.

Vobis verò quas hic condignas reponam gratias omnino haud video, *Triga* meorum *civium & Amicorum lectiſſima*, & in hoc ſcribendi adjumento longe utiliſſima. Quorum tu *primus*, Nobiliſſime Dne. *Helvice* SYLMI, plures integros auctores aſſiduitate indefeſſa perluſtrare, ac in meos indices re-

 ferre

ferre non es dedignatus! In iisque ſane *vaſtiſſimos* aliquot *in folio*, quales ſunt Thomæ *Hyde* Bibliotheca Oxonienſis, Nicol. *Antonii* Bibliotheca Hiſpanica, *Sotiwelli* Jeſuitica, ne minutiores nunc ſuo loco non reticendos hic etiam attexam. Tuque *ſecundus* ab hoc, chariſſime *Dne. Collega*, *Georgi Eliezer* ETZARDE, qui Rabbinos Scriptores, caput peculiare Anonymorum meorum facturos, jam elaboratos dediſti, & renavanda etiam opera recenſendos denuo, atque augendos etiam acceſſionibus, & collatione inſuper aliorum auctorum, usque ad editionem faciendam adeò benevole recepiſti. Tu denique *tertius* mihi, *Joh. Georgi à* PETKUM, L. A. M. Venerandi nobis maximè dum viveret Parentis, patriſſans omnino, imò magna Parentis etiam in Eccleſiam Merita majoribus, (ita faxit Deus T. O. M!) exuperaturus quandoque filius: qu ultro *Anglis & Pſeudonymis & Anonymis inſtruendis* te non obtuliſti modo, ſimulac deſideriorum meorum ſummam intellexiſti, ſed & ita in hoc munere tractaſti, ut jam totum hoc *de Anonymis Anglis detectis caput*, penè pro elaborato edi poſſet, niſi expectatæ aliorum adhuc acceſſiones, inſerendis hinc inde, forte ſubnaſcentibus, nec mutilanda per ſeparatam divulſæ unius partis ſubtractionem editione operis, feſtinationem inhiberent.

Ne tamen ea vobis procraſtinatio fraudi eſſe ullo modo poſſit, o dilectæ animæ doctæque, ac meæ adeo per amorem ſinceriſſimum non parvæ partes, jam nunc in publicum teſtor, hæc bina capita mei Operis Vobis, Veſtrisq; nominibus Clariſſimis præfixis edenda olim fore,

fore, quorum laboribus tam induſtriis ſedulisque potiſſimum debebantur. Quod ſi quæ porrò veſtræ in me, rempublicamque litterariam inſignis adeo, raræque pietatis æmulæ bonæ mentes, ex tanto litteratorum Hamburgenſium, indigenarum, aut adoptivorum hic ſeſe tenentium numero, acceſſerint aliæ: jam facile poterit hoc quicquid de ſolo memetipſo merito deſpero, plurium Veſtri ſimilium Auxiliatorum AmicorumEruditorum Induſtria conjuncta, annuente divinæ gratiæ ſupereminente auxilio, propediem feliciter abſolvi.

Et verò eſt, quod etiam nunc ſtatim Vos exhilarem, lætiſſimo & optimi iterum ominis nuncio, ſocietatis in hoc veſtro labore mihi recens oblatæ, exoptatiſſimi olim auditoris mei planeque nulli ſecundi, nunc Amici, & *in hac* elaboranda *ſcriptione* futuri ex promiſſo *Collegæ longè* acceptiſſimi, Dni. *Bartholdi* WALTHERI, J. U. Doctoris, Viri virtutis ac Eruditionis eximiè probatæ. Utinam modo non, quod aliis aliquibus, alias huic operi forte non æquè defuturis egregiis Viris contigit, plurimarum graviorum mox, tam idoneos non diu deficientium occupationũ, forenſium aut aliarum mole, ab otio hocce litterario abſtrahatur! Sed quid ego mihi omen bonum ipſus imminuere aut vitiare ineptus præcipitem? Speremus meliora, feramus contingentia: Lætemur præſentibus bonis, laturi futura qualiacunque. Sane hucusque bona cuncta portenduntur, imo porriguntur. Quando vel hæc adhuc ſcribenti adeo, Civis meus Excellen-

tiſſimus *Dn. Otto* SPERLINGIUS J. U. D. & Regiæ Majeſtatis Danicæ Conſiliarius, mihi *centurias* aliquot integras, collectorum ſibi ex auctoribus variis *Anonymorum atq; Pſeudonymorum* detectorum, nec opinanti donat. Cujus ut largitatem, ita in excerpendo etiam ordinem, vellem omnes imitarentur, ſuæ non minori quam meæ commoditati. Nempe ut ex ſingulis libris excerptos, ſerie prout obvenerint nil mutatâ, conſignatos ſiſtant. Ita enim illico ad conſpectum auctoris ipſius mihi liceat dijudicare, num prætereunda habeam, tanquam ex libro jam perecerpto mihi, quæ ſequuntur enotata pluſcula, an verò tanquam intacta, meis nunc demum indicibus inſerenda, curioſe verbotenusque debeam lectitare. Quorum ſane prius hic per integras decurias, ex Gregorio *Leti*, Valerio *Andreæ*, & aliis mihi dudum perluſtratis enotatas, magno cum otii & laboris lucro eſt factitatum. Ut itaque tam utilis me liberalitas, honoratiſſimi, ac aliis dudum beneficiis non vulgaribus mihi commendatiſſimi Civis mei, ſummopere in ſpem ulterioris de conſummando meo opere fauſtitatis me rapit: ſic in eadem amplius quoque me; firmant externa, imò *ab* extima *Hungaria*, ſuperioribus diebus ad me transmiſſa, & *à Dno. Cramero*, J. U. D. & Prof. P. Electoralis Academiæ Duysburgenſis deſignato, mihi tradita, ad editum meum ſcriptum de auctoribus occultis detectis *additamenta* foliorũ aliquot doctisſima, auctoris ut habet inſcriptio, *Johannis Chriſtophori* RAUSCHERI, J. U. Licent. & Syndici Schemnicenſis in Hungaria. Cujus ut beneficium etiam hoc agnoſco & lætor

lætor eò impenſius, quo à longius remoto, & minus unquam ante cognito mihi tam inopinato confertur, ſane omni occaſione in ipſius operis editione, porrò ſuis ſæpe locis celebrandum: ita nolim in hoc imitentur alii exemplum Ampliſſimi hujusce Viri, quod ſine ullis additis litteris transmiſſionem inſtituant, hac ratione ſcilicet mihi facilitatem de neceſſariis quandoque ulterius quærendi omnem erepturi. Sed de hiſce quidem & ſimilibus, ſuo loco mox pluribus partite commonefaciam eos, quibus hæc in commune nunc ſcribo eruditos, & huic meo inſtituto operi faventes Amplificatores omnes. Jam dudum enim à præteritis atque præſentibus, ad futura, & porrò exequenda, ſtylum meum convertere deſidero, tam locuplete ſpe undique affulgente, ac quantum potis eſt ſolante jacturam (interim dum longiores renovandæ hujus eruditionis moras invito multum injecere tam multa) *emortuorum* plane Virorum ſummorum, à quibus ſumma etiam hujus mei operis adminicula expectabam. Videlicet præter antea memoratos luctuoſæ mihi meiq; operis amantibus quibusq; memoriæ, Viros *Conringium*, *Daumium*, *Reiſerum*, ah! quanta nomina! etiam lugendi nobis nunc, quia uſurpandi non ſuperſunt alii: ex quibus eminent maximè Clariſſ. *Gothofredus* VOIGTIUS, SS. Theologiæ Licentiatus, & Rector Scholæ noſtratis publicæ digniſſimus, imò majoribus longe dignus, à cujus ſane ſingulari eruditione, atq; diffuſa lectione, nec pauca, nec vulgaria mihi promittebam. Propiori quoque Collegii ſocietate junctiores *Michael* KIRSTENIUS eiq; in verſo mortalitatis or-

dine, cum longo poſt intervallo Profeſſionis Collega factus eſſet, præmortuus *Martinus* FOGELIUS, ambo doctrinæ incomparabilis, hic verò etiam promiſſis, & in agone deſignatis, ad meum hoc inſtitutum pertinentibus ſchedis, mihi tanto deſiderabilior factus, Ne nunc taceam quoque *Gothofredum* MELMIUM, Archiatrum Imperatorii Soceri, nunc Electoris Palatini, *ex civibusq;* meis *Matthiam* PAISENIUM Ph. & Med. D. & *Henricum* BROKES J. U. L. editioni priori jam laudatos, & alios memoriæ nunc etiam infidæ non occurrentes, at non eo magis infidæ oblivioni deſtinatos. Quorum eo minus hic nomina ſilentio involvenda nunc habui, quo magis eorum hæredes rogandos habeo, ut, ſi quid ex eorum chartis, meo inſtituto conducibile ſupereſſe depræhenderint, illud meæ, publicæque utilitati, ac ipſorum deſiderio, quæ loco teſtamenti eſſe ex naturali æquitate debet, inquiſitum, aſſervatumque, impertire ne graventur, ſuæ quoque ſubminiſtrationis laudem publicam non amiſſuri.

Quod nec eorum favor unquam ut faciat committam, qui *coram, aut per alios factam* ſubſidiorum aliquorum *ſpem*, ullo modo adimplere non fuerint dedignati. Quorum ut memoriam omnium nunc non habere me amplius fateor: ita recentiſſimum ex illis *Dn. Johannem* MOLLERUM Flensburgenſem Cimbrum jam dememiniſſe ſaltim non poſſum. Quippe cujus *Prodromus Cimbriæ litteratæ*, mihi donatus, ante oculos non modo jacet, verum etiam per litteras expetita, tum mea, tum aliorum, me parario, ad id opus ſubſidia urgenda, animo quotidie obverſantur meo

Unde

Unde quemadmodum ſpero non plane nihil me illi profuturum, ita viciſſim ex ipſius opere, ſive ante meum edatur, ſive ut eo elaboratius prodeat, etiam diutius differatur, mihi conſpectos partim jam in autographo anonymos atque Pſeudonymos communicandos, jure promiſſi, quaſi jam tranſmiſſos adſcribo. Quemadmodum & ullius reliquorum ultroneorum adeo promiſſorum fidem in dubium vocare, me religio vetat, vel Philoſophicæ, nedum Chriſtianæ charitatis.

At enim ipſa hujus invitationis ultra ſpem excreſcens ſub manibus moles, jam dudum imperare mihi videtur, ut explicate partiteque tandem exponam, quidnam, & quomodo mihi ab iis, quos compellare nunc aggreſſus ſum inſtituti mei Patronis, atque Fautoribus O. O. honoratiſſimis, præſtari potiſſimum exoptem. Quod priusquam expediam, ipſum *præſentis mei operis ſtatum*, & *de futuro conſilium* omne animi, propoſitumque, prius partite candideque patefactum, enarrare non inconſultum videtur. Ut eo conſpecto, quidnam etiam ultra, vel contra mea vota, utiliter in commune conferri queat, vel auxilii, vel conſilii, tanto magis integrum ſit me prudentioribus, & altius penetrantibus omnibus arbitrari, atque nil magis quam doceri aventi mihi ſignificare. *Sciendum* itaque, *quod* 1. Tantus ad me à celebratis ſupra Viris, æquè doctis atque beneficis, auctorum *numerus Anonymorum & Pſeudonymorum detectorum* eſt delatus, partim & à me collectus, ut jam ex MD. *ultra quartum millenarium excreverit*, niſi me calculus, ex tot confuſarum ſchedarum,

rum, & repetitionibus creberrimis plenarum, ægrè certus ſubducendus, aliquomodo fallit, quod tamen haud adeo multum fore credo,

Ubi tamen monere hoc etiam aliqua me neceſſitas cogit, quod ut (1) *Anonymorum nomine* complector *omnes, quorum nomina quomodocunq; ſunt omiſſa*, ſive litteris initialibus, ſive Collegii, aut Societatis, aut Profeſſionis, aut Symboli, aut ulteriori aliquo ſigno, nonnihil ad ejus indagationem profuturo ſubinnuantur;

Ita (2) *Pſeudonymos* utique illos *etiam habeo, qui* vel *fictum*, vel *immutatum nomen aſſumſere, licet à dolo abſint.* Quamvis id diſſentiente Clariſſ. *Morhofio* Polyhiſt. lib. 1, c, IX. p. 85. fieri videam; fortè quod ψεῦδος ſeu mendacium ſtrictiori ſenſu, pro falſo doloſo tantum accipi cupit, In quo tamen illi neque noſtri nunc inſtituti ratio, ut conformemus nos permittit, neque natura vocis, aut uſurpationis conſuetudo neceſſario obſtringit, ut alias opportunius fortaſſis latiusque deducemus,

2. *De ſingulis*, & eorum qui jam ante fuere memorati, & accedentium nunc novorum, *accuratius* longe, pleniusque nunc *agendum* mihi decrevi, *quam olim*, ubi & temporis, & voluminis coarctatum nimis à Bibliopola editore ſpatium, præter alias præfando tunc indicatas imperfecti nimis opuſculi cauſſas, eo quo potuiſſem atque voluiſſem progredi non permittebant.

3, *Ordo* etiam *in iis qui prolixiorem tractationem* mereri aut *recipere poterunt*, certus & uniformis obſervabitur ille, ut (1) *cum titulo* libri, *argumentum*

ejus

ejus ſummarium; (2) *Prioris* noſtræ *tractationis de illo ſcripto*, ſiquidem ibi ejus extiterit memoria, *ſignificatio*, vel repetitionem vel emendationem includens, *aut* ſi nondum in ea extiterit, *omiſſionem indicatura*, (3) *Editiones variæ* memorentur mihi notæ. (4) *Verſiones* aut *commentaria*, *cenſuræ*, & *refutationes*, ſi extent, & alia ejus generis. (5) *Auctores removendi* prius, ſi qui *falſa venditatione*, aut *ſuſpicione jactentur*. (6) *Auctor verus*, certo cognitus, aut probabili maxime opinione, vel conjectura exiſtimatus. (7) *Elogia*, ſparſim inventa, vel *vituperia*, & hinc operæ pretium, aut aliorum aut noſtra etiam exiſtimatione factum. (8) *Loca auctorum prolixiora*, *ſeorſim* ad ſua quæque ſuperioris tractationis membra *ſignis appoſitis relata*, & plene quantum opus videbitur *exſcripta*: præcipuis etiam *partibus*, ob quas adducuntur, quasq; extra ſermonis integri contextum ſolas apponere non erat futurum ad intellectum plenarium ſufficiens, Lectoris evitando tœdio, *mutatione typi* variata, primo ſtatim adſpectui diſcretione ſatis evidenti *ſeparatis*. Quod ipſum tanto magis neceſſarium erit, quo minus eos qui adducendi nobis venient, omnis generis diverſi admodum, & ſæpe rari, ac paucis adeo, imo quandoque ne nobis quidem poſſeſſi, ſed commodato tantum uſurpati auctores plurimi, omnibus ad manum ſtatim fore ſperandi non ſunt. Cum nullius adeo generis librorum in Bibliothecis plerisque, certe hujus Urbis, qua publicis, qua privatis omnibus, ſit æqua

raritas, ac eorum, qui de re bibliothecaria tractant ex profeſſo, quales ſæpiſſime tamen nobis venient in partes vocandi.

Et hujuſce quidem plenariæ tractationis *ſpecimen*, ſtatim huic invitationi jam apponendum, in promptu ad umbilicum plane perductum erat, in eximiæ, nec unquam ſatis commendandæ, ipſique Luthero, & ferventiſſimi zeli Theologis maximè orthodoxis commendatiſſimæ pietatis libello anonymo, cui *Theologiæ Germanicæ* Titulus eſt. Sed excreſcens nimis hujuſce ad exteros procul transmittendæ jam Invitationis moles, eandem in ſe non adeo parvam tractationem illi ſociare nunc diſſuaſit. Circa quam Interim hoc etiam peculiare tamen nunc ſignificandum adhuc habemus: ut ſi quis *de auctore illius libri*, à Johanne *Wolffio* Memorabilium Tom. I. fol. 863. ad A. 1460. laudato neſcio quo EBLENDO Hiſtorico, Joh. *Böttigero* Jſagoges Hiſtoriæ p. 358. etiam memorato, *ulteriorem* aliquam *notitiam* impertire poſſit, is ſciat eo nomine Minerval ſibi me debiturum. Quandoquidem non Vosſius modo, & ejus annotator Sandius, ſed omnes mei bibliothecarii adeo, altum de illo plane ſilent.

4. *Indicem* confeci *duplicem*, admodum incrementis ſuſcepti hujuſce operis promovendis, ni fallor, idoneum, imò neceſſarium futurum, quem utrumque hic ſubjunxi. Eorum *prior Num.* 2. adjunctus, exhibet *auctores*, maximè bibliothecarios, mihi jam aut ipſimet, aut per amicos, aut una cum illis uſurpatos, atque *perlectos*, ſive quid adjuverint noſtra collectanea, ſive

ſpe

ſpe vana operam eluſerint noſtram, Eum velim credant mihi Lectores, non uti male fieri conſuevit, ambitioſæ atque oſtentatoriæ jactationi multæ lectionis eſſe confectum, ſed candide, ac bona fide ita concinnatum, ut hiſce denuo perquirendis (niſi forte ob παρο-ϱάματα, nunquam prorſus ejeranda) ſuperſedere posſint, eamque operam in alios libros, nobis adhuc nondum perluſtratos conferre, benevoli atque induſtrii horum noſtrorum conatuum adjutores. *Poſterior index Num.* 3. adſcriptus, illorum eſt *auctorum*, *quos* ipſe nanciſci ferme deſperans, præ aliis, eorum quibus hoc magis integrum eſt quam mihi, meisque hic præſentibus hucusque auxiliariis, opera perluſtrari exoptem: ſive numero detegendorum, ſive probationi, & confirmationi jam detectorum, aliquid acceſſionis, ut ſpero, non contemnendæ allaturos.

Quamvis jam ex hiſce adeo cuilibit ingenioſo, atque induſtrio hujus ſtudii amatori, obſcurum amplius, aut divinatu difficile manere non poſſit, quo genere adjumenti potiſſimum ſublevari opera nobis ſuſcepta queat: ut tamen etiam eò certius, atque plenius, promptiusq; illud omne conſtet, neq; meditationis ullius ambiguæ vel operoſæ, aut ſuperflui laboris onere gravaturi, fortaſſis erroris, aliquod vel leviſſimum periculum remanere mea culpa poſſit: ulterius poſthac, *quorſum hæc noſtra ſpectet invitatio*, diſtinctis *aliquot* etiam *capitibus*, partite nunc & enucleate magis *exponam*.

Nempe poſtquam inventus non eſt, ubi maxime deſiderabatur, qui totam hanc in ſe transmoveri

ope-

operam pateretur: ut acceptis à me, æquè ac induſtria mea, vel amicorum hic præſentium, collectis acceſſionibus editionis prioris, ipſe diligenter omnia quæ poſſet, ex libris, aut memoriis aliunde ſubminiſtratis, ulterius inquiſita ordinaret, inſtrueretque, beneficiis cujusque adjutoris ſui candide publicatis, & citra inſectationem cujusquam aut invidiam, bona fide recenſitis, latino idiomate publicaret: ipſemet operi, cui ſolus imparem me agnoſco, *ſubſidia* maximè *deſiderata*, Eruditorum Fautorum, & Amplificatorum ope ſubminiſtranda, humillime peto, ea quæ ſequuntur.

1. Ut *quæ quisq; ſuper detectis Anonymis* ſive *Pſeudonymis* ſcriptis *habeat collecta*, vel ex libris, vel ex memoriis, & narrationibus fide dignis quibuscunque, aut virorum doctorum, aut bibliopolarum & typographorum, quibuscum familiaritatem colentes ſane plurimum juvare me poſſint, vel ſaltim ex indiciis, atq: conjecturis non prorſus incertis: ea velint *ad me transferenda* curare, quantum fieri queat *munde conſcripta integreque*, inprimis *quod ad auctorum loca, citata* expreſſe, additis *minutiſſimis diſtinctionibus* librorum, capitum, ſectionum, & paginarum partibus, ut citra errorem legi, atque deſcribi à quolibet mediocriter docto posſint.

Ubi tamen hoc etiam monere ſtatim debeo, me communicationem eam petere, ac impetratam uſurpaturum non aliter eſſe, quam *cum reſtrictione*, prudenter & modeſte *addita Dno. Bailleto*, Jugemens des Seavans. Tom. I. cap. 12. p. 473. *pourvû qu' en decou-*

decouvrant ceux, qui auroient voulu demeurer, toûjours cachez, *je ne m' expoſaſſe point à bleſſer la charité qui ſe doit dans le Chriſtianiſme, ou l' honeſteté, qui ſe practique dans le Monde. (modo detegendo eos qui voluerint manere ſemper tecti, non exponam me periculo violandæ charitatis debitæ Chriſtianiſmo, aut honeſtatis receptæ)* Sane enim *promiſcuum ſtudium ἀνωνύμους, præſertim ſuperſtites ſcriptores, inveſtigandi, nonnunquam charitati adverſum, non ſemper alias etiam probavi:* ut verba mea faciam, cujus ſententiam meam dudum hac in parte feci, Viri ut omnibus, ita mihi multis præcipuè nominibus ſumme Venerandi, *Dni. Speneri*, ſub finem præfat. ad B. K. dialogum Lipſiæ recens editum, de Templo Salomonis pium & elegantē. Quin ego, ut editione prima plus quam unum hac de cauſſa preſſi, nec de quoquam à me tanquam ad invidiam ſuam aut læſionem detecto, querelam inaudivi ullam: ita plures etiam hac editione pari conſilio & religione premam. Utpote qui juvare omnes, lædere neminem, nedum inſontibus negotium faceſſere, aut verecundis pudorem excutere moliar ullo pacto.

2. *Loca* auctorum notabilia quæque, rariorum imprimis *exſcripta plene*, non tantum citata ſuppeditentur, ne defectu libri ſit inutilis allegatio.

3. Ea *loca* ſi ſint *paulo prolixiora*, optem *citra opiſtographum*, ſive alternis paginis vacuis conſcripta nanciſci: ut ubicunque maxime quadrent, citra novam deſcriptionem interpoſita typographo ſtatim excudenda tradi poſſint. Quod ipſum adeo ſiquidem

dem *in omnibus* transmittendis obſervetur, tanto ad inſerendum ea, ubicunque & quocunque libuerit modo, aptiora nobis contingent.

4. *Series excerptorum*, ex Bibliothecariis, aut ſimilis argumenti auctoribus ſingulis plurium, eadem nobis *commodiſſima*, quæ ipſimet *exſcribenti* facillima eſſe poſſit. Nempe, ut poſito in medio folii auctore, ſubſcribantur eodem quo ſeſe obtulerint ordine excerpta ſingula diviſim, appoſito loco ubi extent. Ita enim ſi vel totus, vel ex parte jam nobis inſpectus ſit idem auctor, illico liquebit, quid præteriri à nobis poſſit: neque ullo, vel alphabetico, vel aliter enotata digerendi ſuperfluo labore gravabitur excerpens. Qui ſi tamen alium jam ordinem ſorte inſtitutum, citra ſuum incommodum mutare non poſſit, ſaltim *indiculum* eorum quos percerpſit *auctorum*, noſtro quem N. 2. adjunximus, cum honorifica ſui mentione inſerendum, adſcribere ne gravetur.

5. *Aliquem ex profeſſo*, & data opera forte *auctorem detectum prolixius deſcripturus*, idea, *qua ſignificavimus tertio* noſtræ narrationis *membro*, *ſerie*, ſi fecerit, ut conformia noſtris magis, ita & hoc ipſo gratiora, & concinniora, minusque reformanda, & *nomine ſuo expreſſe præfixo inſerenda ſuppeditabit*, noſtris per annotatiunculas ſolas, ſi qua non omittenda inſuper habeamus, attexendis.

Si qua tamen etiam *melior* cuiquam *diſpoſitio* præplacuerit, non ob id nobis minus ſeſe probabit. Imò ſi noſtra potiorem depræhendemus obſervatam

illi

illi rationem, *in imitationem nos* ſui facile, re integra etiam *convertet.*

6. Quibus ipſis non vacat *libros* ſuos *rariores*, maximeque illos, quibus nos carere Index poſterior N. 3. adjectus oſtendit, aut raritas vaſtitasve ſua ſuſpicari facit, percerpere, illi ſi nobis eosdem *percerpendos occaſione commodâ transmittere* velin, etiam hoc pacto gratiam non vulgarem inibunt, transmiſſos bona fide ſartos tectos quantocyus. recepturi.

7. Quamvis etiam *oportunitate transmittendi* ad emporium adeo celebre, quale per Dei gratiam Hamburgenſe hoc noſtrum eſt, nemo facile carere poſſit, ac adeo nemo illorum, quibus hæc inſcripta eſt invitatio, huic rei operam ſit denegaturus; attamen hoc inſuper in eam quoque rem indicatum volo. Quandoquidem *ad nundinas Francofurtenſes*, atque *Lipſienſes*, omnes omnium locorum Bipliopolæ conveniunt, vel eorum ope quemque hac in parte ſatis commode uſurum: ſi quem ſui loci Bibliopolam, uti ſane libris utens nemo non, aliquem habuerit ſibi familiarem, aut leviter ſaltim notum, eum litteris aut faſciculis oneret, *Francofurti* quidem *apud* Celebrem ſatis editione tot egregiorum voluminum *Joh. David Zunnerum* deponendis, ac inde mihi curandis, *Lipſiæ* vero uti *nullus Excellentiſſimorum Dominorum Profeſſorum* (in quibus etiam Maximè Reverendum Dn. *Olearium* SS. Theol. D. & PP. affinitate, & inclytum Actis Eruditorum eruditiſſimis Dn. *Ottonem Menkenium* litterario mihi commercio reliquis junctiores nominare poſſum) alicui noſtratium ad ſe

delata

delata tradere gravabitur: ita nunc ibidem cognatus meus chariſſimus & juris Candidatus *Michael Vincentius Lipſtorpius*, aut quilibet alius Hamburgenſium Studioſorum, & ex Mercatoribus *Sylmiorum*, integritate pariter ac humanitate genti eorum plane familiari notiſſimorum nullus non, eam mei gratia curam ſuſcipiet ac lubens.

8. Quamvis etiam faſciculos imprimis majores *ſine ſumtu* ad me transferendos curari omnino malim, eam impenſam rectius in uſus pauperum & pias cauſſas deſtinaturus: ita nihilominus haud eſt quod adeo me parcum, aut plane avarum quisquam exiſtimet, ut in litteraria, de ſcitu dignis commercia, *per tabellarios etiam ordinarios* colenda, impenſas non immodicas ægro ſim animo collaturus. Modo tamen ulla ratione conſtare mihi poſſit litteras ſolito majores, aut pretioſiori portorio redimendas, in eo argumento verſari. Nec enim diſſimulare hic poſſum, aliquoties diſputationem aliquam, aut Oratiunculam Academicam ita transmiſſam, quadruplo quo emi potuiſſet pretio mihi redemptam effeciſſe, ut poſthinc aliquoties de ſimilibus oneroſis donariis ſuſpectas craſſiores epiſtolas tabellario relinquendas potius, & donatori tam imprudenti reſtituendas, quam reſignandas cenſuerim. Hoc ut evitetur, *inſcriptioni* tantum *addi poteſt ſignum* aliquod indicans, quod eæ litteræ mihi, ut auctori Tractatus de Scriptoribus occultis detegenti, deſtinatæ: v. gr. initialibus litteris A. S. O. D. nomini meo adjectis, quas conſpiciens, jam utiliter fieri eam impenſam ſcribentibus facilis accredam.

9. Hoc

9. Hoc etiam rogatos apprimè omnes, aliqua pluſcula præſertim tranſmiſſuros velim: *ne graventur indicare* ſimul, *ubi & qua occaſione reſponſo meo commodiſſimè queant potiri.* Ne ſi qua indaginis ulterioris indiga, vel dubitationis eximendæ non omnino vacua, in tranſmiſſis occurrant, quo pacto ulterius adjuvari queam in incerto relinquar.

10. *Tempus* etiam *tranſmittendi*, *ne* coarctatum nimis conqueri habeat quiſquam, illud *ſemeſtre* totum, imo ſi cui nec illud ſufficiat, *anni vertentis integri* concedo. Quidquid intra vernas anni D. V. proximi 1690. nundinas Francofurtenſes atque Lipſienſes fuerit communicatum, id omne tempeſtivum habiturus, atque congruis locis inſerturus. Quæ ſerius advenerint, ea ſiquidem ita res atque uſus tulerit, omisſis addendis, ea qua neceſſe fuerit parte, quaque fieri potuerit collocatione, ad calcem operis, ubi Deo placuerit, ſub prelo poſiti, adjicientur.

Speciatim etiam adhuc *Actorum Eruditorum*, qua *Latinorum*, qua *Gallicorum*, *eruditiſſimos continnatores* O. O. honoratiſſimos ſummopere *rogatos volo*, ut quoniam ipſi hoc in genere per me Remp. litterariam juvare longe plurimum præ multis aliis poterunt; addant ſuæ in communem Orbis eruditi uſum tã commendabilis, huc usq; tam felicibus auſpiciis præſtitæ, & auxilio divini Numinis perpetuo continuandæ beneficentiæ, illum inſuper cumulum, *ut huic meo labori favore ſuo* ſingulari, quoquo modo ipſis haud incommodo, patrocinari atque *ſuccurrere ne graventur.* Fiet id non modo

D (1) *Pu-*

(1) *Publicatione hujus Invitationis benevola*, ſed & aliis, ſi volent, pluribus efficacioribus longe inſuper modis, ultra etiam ipſorum facillime prudentiæ, quam meæ modeſtiæ definire nunc licet, exequendis. In primis autem

(2) *Commemoratione pleniori* aliquanto librorum *Anonymorum* atque *Pſeudonymorum*, quod ad titulos operum, & auctores ipſos detectos. Ne ſæpius mihi poſthac contingat, quod aliquoties jam ſum expertus, in Gallicis aliquibus maximè, ut auctore in exhibita operis Inſcriptione omiſſo, deinceps autem in enarratione demum memorato, erroneam quaſi de anonymo ſcripto ſuſpicionem conceperim, inſpectis demum ipſis libris, qui non omnes æque ſemper ad me perveniunt, iterum exemtam, cum moleſtia laboris fruſtranei deſuper inſumti.

(3) *Communicatione* illorum, quæ forte ipſi hujus argumenti ſerius ad ſe delata, vel alias ſuis ex cauſſis dilata, nec inſerta ſuis commentariis, poſſideant.

(4) *Compellatione cognitorum ſibi*, Orbis tantum non univerſi litteratorum, qui ad hoc inſtitutum aliquid conferre posſint.

(5) *Monitione* denique candida eorum, quæ flagrans ipſorum erga hoc ſtudii genus amor, & præ mea unius etiam facile major experientia, & perſpicacior prudentia multorum, ipſis ultra quam ex ſuperioribus à me indicatis mihi obſervatum iri prævideant, obſervanda queat ſuppeditare.

Quas ut ab ipſis præcipuè profectas benevolas admonitiones, ſim accepturus in optimam omnino

par-

partem, & cum modeſtia, & humilitate, gratiaque ſumma, bona fide in uſum qua poſſim verſurus: itane invidere mihi velint, eſt quod magnopere ipſos rogem, aut etiam orem.

Quod ſupereſt, ad *Vos chariſſimi Cives mei*, quotquot eſtis Eruditi, aut eruditionis ac eruditorum amantes, nunc me converto: etiam atque etiam *obteſtans*, ut quanto eſtis mihi loco propiores, tanto etiam *auxilio eſſe* promptiores *velitis*. Sane ſine præſtitis tam benigne veſtris aliquorum auxiliis, ſupra jam ex parte memoratis, uti nec unquam hujus operis abſolvendi ſpem animo concipere auſus eram meo: ita ſine ſpe ulterioris etiam opis veſtræ multorum inſignis adeo conferendæ, ne nunc quidem ejus exitum mihi, niſi tardum admodum & incertum, aut imperfectum adeo, promittere omnino auſim. Nam ut quod res eſt dicam, & quam cauſſam habeam, operoſe adeo alienam operam & maximè veſtram implorandi, præcipuam haudquaquam diſſimulem. Non poteſt utique *hoc* tanti moliminis *opus aliter mihi* quam πάρεργον merum, ſolisque *ſubciſivis horis expediendum* tractari. Quo magis etiam nunc, *mallem*, *Dn. Bailletum*, *vel alium* quenquam, *ex profeſſo huic labori vacaturum*, *exorari poſſe*, ut eo quo deſcripſi modo, totum hoc elaborandum opus in ſe recipiat: omnibus in mea manu poſitis nunc, aut ponendis adhuc adminiculis, gratis à me inſtruendus, & auxilio etiam, quo poſſim præterea adjuvandus. Siquidem *mihi* quidem *religio fuerit*, vel *horulam* unam, huic de Anonymis atque Pſeudonymis ſcripto impendendam

 ſubdu-

ſubducere iis, ad quæ ratione publici *officii mei Profeſſorii* à Deo & Patriæ Patribus me vocatum eſſe conſtat, inſtructioni ad Beatam vitam longe propioribus *ſtudiis:* puta *Practicæ Philoſophiæ*, verè practice docendæ, *&* *Eloquentiæ* ad flexanimam affectuum piorum, ſibi aliisque concitandorum, iis autem oppoſitorum ſedandorum artem addiſcendam. Quibus ut immorari, quantum maximè continuo ac citra interruptionem licet, imò immori tandem penitus decretum habeo fixumque: ita ſimul experior juxta, complures non horas, ſed dies, non dies ſed hebdomadas, non hebdomadas ſed menſes totos, ita divino quaſi mandato inde quandoque ſecerni, ut niſi levioribus ſtudiis, & mutatione laboris, requietem aliquam velim quærere, citra laborem omnem ea intervalla temporum ſint tranſigenda. Nempe vel hæ ipſæ nunc horæ, aut potius dies, quarum horas aliquot huic invitationi conſcribendæ impendi, tot angorum, terrorum', dolorum animi, & corporis ærumnis, tantum non obrutum me, continuandis Ethicis meditationibus, quibus optimo ſucceſſu elaborandis alias vacabam, prorſus ineptum redditum, huic quaſi recreationi me dare tantũ non invitum adegere: non obſcuro ſane omnine, fore ut quemadmodum inchoandæ huic de ſcriptoribus occultis detegendis ſcriptioni primitus, impedimenta gravioribus ſtudiis objecta, primam anſam, & occaſionem præbuere; ſic iisdem abſolvendis conſimilem ſubinde vacationem haud defuturam. Præterquam quod tenuiſſima diæta utens, dum ſesqui anno

anno jam integro præter ſinum lactis, & buccellam panis eidem intinctam, raro quidquam nutrimenti aſſumens, Pythagoreorum veterum, aut Capucinorum hodiernorum inſtar, eſu non modo viventium ſed potu etiam omni alio quam lactis abſtinens, vitam ſuſtento, unde vires acrioribus meditationibus per totam diem ſufficientes, haud quaquam mihi ſuppetere experior; imò hypochondriacarum alias male me vexantium obſtructionum adaucto nunc etiam metu, quotidie horas aliquot levioribus occupationibus ſeponere cogor. Quas adeo ſi huic operi abſolvendo, uti conſtitui, & cœpi aliquandiu, ita porro impenderim, raro aliqua die ſine linea eidem adjuncta tranſeunte, tandem integram picturam, faxit Deus Imaginem ſui aliquam repræſentantem! aliqua dies abſolvet: cui ne quid momenti, quod in eo collocare poſſim, otioſe ſubtraham, ut alias minimè coſſilirem, vel ut uſitatur loquar cunctatorem, ita nec in hoc ſtudio, illud *Senecæ* ad polyb. c. XV. ſubinde animo obſervans meo fieri patietur. *Si volebas tibi otium licere, non convertiſſes in te ora omnium. Nunc autem tibi præſtandum eſt quantum promiſiſti, omnibus qui opera ingenii tui laudant, &c.* Quibus ſtimulis ſi veſtra inſuper, Cives optimi, & quotquot iis accedetis ope veſtra Extranei benevoli, auxilia, prouti ſperare multis modis, imo confidere cogor, ſeſe adjunxerint, jam non dubito, *quin proximo biennio, vel* ſummum *triennio*, in publicum *poſſit* hicce veſtræ meæque diligentiæ fructus *prodire*: utinam ſalubri & nutricanti Lectorum omnium paſtu, nullius malefico, & canibus quam homini-

minibus digniore morſu carpendus. Agite itaque *Viri O. O. Honoratiſſimi, favete* benevole, amice, benigne: linguis, animisque, imo etiam ſcriptis, conſiliis, auxiliis, ſuſcepto veſtris, publicisque, aliorum certe potius quam meis uſibus, honoribusque, Labori; ſerius ocius perficiendo tandem, ope Spiritus Sancti, ad Gloriam Dei Patris.

I. N. J. C.

Adjunctum Num. I.

I. N. J. C.

VIRO CLARISSIMO & DOCTISSIMO

ADRIANO BAILLETO,

S. P. D.

VINCENTIUS PLACCIUS.

QUantum hoc Dei beneficium ſit, quod corporibus tam longè ſemoti animabus tamen eſſe conjunctiſſimi, ac adeo alter alteri gaudiorum etiam ſolidorum cauſſas præbere poſſimus, id vero ſuperioribus diebus lætiſſima iterum experientia, Te auctore mihi comprobavit. Quando nempe transmiſſa mihi à cognato meo ultra ætatem & docto & pio, Dno. Lipſtorpio, Medicinæ Doctore,

ctore, tua de Pſeudonymorum Elencho ſignificatio, inſigni plane me hilaritate perfudit. Præterquam enim, quod non poteram non, vel ſolo nuncio de vita & valetudine Viri tantopere meo & totius Orbis litterati voto ſatisfacientis, impenſe delectari: etiam in ſpem adducebar omnino mihi lætificam, fieri poſſe, ut imminente mihi circa Pſeudonymorum & Anonymorum labore magnam partem, aut quod multis modis mallem, in totum utique ſublevarer. Id quod eò magis mihi optandum, & à Te ſummopere contendendum eſſe cenſeo, quo minus in ſingula huic operi pro ſua dignitate ac merito abſolvendo neceſſaria, in Te vero etiam univerſa quam inſtructiſſima & affluentiſſima depræhendo. Nimirum & valetudo integra & librorum ejus generis copia, vel in ea, cui præes bibliotheca, nedum in orbis eruditi compendium habente Urbe uberrima, & Bibliothecarii tanquam proprium & auctore Deo tales curas ut ἔργον quotidianum impoſitum munus: ne quid de ſumma ingenii alacritate, induſtriæque ſedulitate, ac eruditionis inexhauſto theſauro dicam. Quibus poſtremis, uti non me modo, ſed innumeros alios longè ſuperas: ita prioribus illis quaſi ad hoc opus factum Te, atque vocatum divinitus, & à natura æque ac fortuna præ me adjutum eſſe mirificè, venerabundus agnoſco. Unde quid mirum, ſi me corpuſculo tot annis arthritide ſæviſſima excarnificato, & nunc lacteâ diætâ ægre nonnihil refecto quidem, attamen in debilitate adhuc continua poſito: ſi degenti hic, ubi ſcriptorum de re libraria tanta eſt inopia, ut totius urbis ſupellex nec

unicæ in eo genere inſtructæ bibliothecæ veſtrati reſpondeat; ſi vocatus ad Philoſophiam Practicam, adeo nunc deſertam, & ad Eloquentiam, perſuaſioni piæ, cujusque ſuæ, & aliorum adeo neceſſariam docendam, non niſi παρέργως alterum illud, hominem totum requirens opus, tractare poſſim, & remiſſe, imperfecteque. Unde vix intra biennium adhuc, vel triennium, ejus edendi ſpem ullam facere, nec eam cum fiducia poſſim; dum Tu confecto jam & bibliopolis tradendo fœtui incubas. Abſit igitur, ut eo utrinque rerum harum ſtatu accipiam, id quod daturus adeo liberaliter, imò prodigaliter propemodum videris, ſi penes te ſolum adhuc ſtaret, quod jam cum aliis bona ſui parte communicatum narras. Non is ego ſum, qui tantum in me onus derivare ſine ſumma temeritate ac imprudentia, ne dicam impietate erga homines Deumque poſſim Quippe qui & remoraturus ſim eo facto publica commoda nimis, & ſpartam mihi demandatam, ac ni fallor, etiam majori cum culpa negligendam deſerturus, cui ornandæ vel momentum mihi demere ſit religio; & ſi neutrum horum committere ſtudeam, valetudini, jam ſic ſatis afflictæ ſim nociturus omnino. Quamobrem hoc potius à Te quibus poſſum exquiſitiſſimis precibus efflagitandum duxi: ut quem huc usque tanto conatu atque ſucceſſu, præ me jam ad finem prope perduxiſti laborem, eum ne deſerere, ſed potius vocanti ad eundem Deo, genioque tuo, & tempori te accommodans, perficere, talemque publico exhibere pergas, qui & inſtructioni plurimorum, & honori tuo quam maximè

condu-

conducat. Ad quod ipſum me, & precibus ad Deum, (cujus honori tandem & hæc & omnia deſtinamus unice) fundendis, & ſuppetiis, quantas à mea tenuitate proficiſci benignum Numen ſiverit, pro virili ferendis, paratiſſimum Te & promptiſſimum ſemper habiturum eſſe ſcito.

Ne quid autem omnino huc faciens diſſimulem, ſed ſummo de tota re candore, prorſus integrè quod ſentio liquidoque profitear; non videris mihi hoc quod à Te modo petendum duxi, præſtiturus eſſe ſatis, ex uſu, & voto plerorumque omnium, quorum intereſt, niſi conſilium tuum in hoc uno mutes, quod idiomate Gallico potius quam Latino ſcriptum hocce conceptum edas. Quæſo Te, conſideremus hanc rem, uti par eſt, ſuo, non alieno fine metiendam. An non eò hæc tota ſcriptio, ſiquidem Chriſtiana eſſe debeat, dirigenda nobis venit? ut quamplurimi poſthac de librorum, quos legere velint, auctoribus veris plenius inſtructi, ad lectionem eorundem majori cum fructu, cognitis veris, nec ementitis ſcriptoribus accedant, indeque reip. litterariæ, atque Eccleſiæ membris cæteris, in honorem Dei ſeſe utiliores deinde præſtent. Sane haud aliud ego, coram Deo & conſcientia, propoſitum animi conſiliumque mihi ſuſtineam formare. Jam cogita, quot centuriæ, vel myriades potius eruditorum exterorum, Theologorum præcipuè, atque Philoſophorum, & Philologorum, Rectorum & Miniſtrorum Scholæ, Eccleſiæque, hinc inde Gallica non intelligentium (ſi vel maxime JCtos & Politicos omnes ejus linguæ gnaros ponamus) à fru-

ctu ejus operis, ſi Gallicè prodeat, excludantur: Interim dum plebecula ſemidocta, vernaculi ſermonis obvia facultate, ad lectionem, ſuæ potius curioſitati, quam utilitati ſervituram admittitur. Ne dicam, in hiſce multa fore, á quibus rectius arceretur etiam plane profanum vulgus. Qualia ſunt de ſacrorum librorum aliquorum auctoribus diſſidia, non tam profutura fidei eorum, quam obfutura facilè. Quare vide ſodes, ne forte amici illi, qui patrium ſermonem hac vice prætulerunt, aliqua ad verum ſcopum hujus operis, minus collimante intentione, fuerint hujusce Tibi conſilii auctores. Nempe redit hac occaſione in memoriam mihi, quod ſuperioribus annis Amiciſſimus mihi, licet de facie nunquam notus, at ſcriptis tanto etiam publicè notior, Guilielmus Cave reſpondebat, ingenuitate ſua ſolita, cum ab eo per litteras eſſem percontatus, cur tantæ eruditionis ſcripta ſua potius anglico, quam communi eruditorum ſermone vulgaſſet. Scilicet, dandum hoc fuiſſe commodo potius & deſiderio bibliopolarum, intra pomœria Londinenſia diſtrahi cum lucro majori exemplaria ſua volentium, quam publico eruditorum. Quæ verò excuſatio, ut neceſſitatis aliquando, ubi alias editio impetrari plane non poſſit, inevitabili conditione ſubſiſtat: ita in præſenti opere, tam vendibili, quacunque in lingua etiam edatur, haud quaquam conſcientiam, omiſſi ejus, quod factu erat ſatius, accuſatione abſolvet. Ignoſce amabo, tam apertè, tamque ſeriò, cauſſam publicam agenti, apud hominem, cujus ſinceritatem & pietatem, ex fama ſcriptisque mihi adeò perſuaſam

ſuaſam habeo, ut tecte nihil atque diſſimulatè (quod nec alias, vel ſi velim, ex naturæ impetu poſſim) cum eodem agere ullo modo queam. Haberem alia permulta inſuper hujus meæ petitionis argumenta, ſed neq; librum loco epiſtolæ Tibi prima ſtatim vice impingere audeo, & eam in tuæ pietatis atque prudentiæ ingenio fiduciam dudum habeo collocatam, ut ex hiſce paucis longè plura ſis eorum quæ ſcribenda mihi forent, tecum ipſe divinaturus. Hoc itaque unum addo. Siquidem in hoc uno mihi concedas, ut Latine illud opus prodire facias, nihil fore, quod de mea voluntate illud ipſum adjuvandi non promittere Tibi poſſis.

Neve de facultate mea plus ſperes, quam in ea ſit, ipſe tecum ita rationes ſubducam, ut errore calculi turbari eæ nullo modo poſſint. Nimirum ſimulatque de mutato circa linguam uſurpandam animo certiorem me feceris, ingenuè, candidè, plenèque Tibi aperiam ſcrinia mea cuncta, & enumerata dabo, quæcunq; in iis ad præſentis operis perfectionem conferre ullo modo poſſe exiſtimem, ſive jam illa ſint a me annis hiſce XIII. ab editionis prioris tempore collecta, ſive ab amicis transmiſſa: quorum unus, Suecus natione, ad 700. Dominus Cave centuriam integram & amplius, alii tantundem, plusve aut minus contulere, plures jure promiſſi ſunt in ære meo, nec mala nomina futura, modo compellentur. Ea omnia munde Tibi deſcripta, meo ſumtu, nec ad obolum repoſcendo, deſtinantur. Et quoniam plerisque ſola ſunt loca ſcriptorum annexa, verbis omiſſis: hæc quoties expedire judicaveris,

ris,etiam ex iis qui ad manum hic fuerint libris, exſcripta dabuntur. Poſtquam etiam ad celeberrimum Dn. Antonium Magliabecchi Florentiam, & ad alios plures promiſſores ſymbolorum divites atque liberales, Epiſtolam debitum exigentem publicare, jam in Catalogo nundinali nupero Lipſienſi promiſi: ea Epiſtola tuis auſpiciis edenda tibi committetur. In qua videbis Catalogum debitorum meorum, & ſtatum operis præſentis, & conſilium meum omne, una cum indice, non oſtentario, ſed bona fide facto, ſuper libris, hac intentione, ut opus illud adjuvarent, per me & amicos evolutis, & evolvendis, atque modis & mediis omnibus, quam pleniſſimum & accuratiſſimum hoc opus efficiendi, ad quod ipſum adeo adjutores etiam meæ imbecillitati aliquos his ſum nactus. Quorum unus, Collega meus, Esdræ Etzardi filius, plane patriſſans, Caput de Anonymis Rabbinis delectis jam elaboratum ferme habet, alter Anglicæ linguæ peritus in Capite de Anonymis Anglis elaborando jam deſudat, itidem parte maxima prope confecta. Ea cuncta, & ſi qua hiſce ſuperaccedent, ſimulac ad umbilicum fuerint perducta, tui juris evadent. Ut etiam ſcias, qua methodo tractatio cujusque auctoris paulo prolixius conſiderandi à me adornetur, unum, aut fortaſſe etiam alterum ſpecimen alicujus præ cæteris accuratius pertractandi, anticipatum deſcribi curabo. Et primo quidem de Anonymo Theologiæ Germanicæ libello myſtico quæ collegerim, digeſta exhibebo. Erit autem ordo ſimillimus illi fere, quem Thomaſius in ſuo de plagiariis opere ſervat. Ut nempe ſummatim enarratis

ratis de ſingulorum Auctorum commemorandorum ſcriptis ad præſens argumentum pertinentibus, præcipuis omnibus ſententiis, earumq; probationibus, dein teſtimonia prolixiora ſeparatim exſcripta, lectoribus ea etiam attentius proprio ſuo judicio expenſuris ſiſtantur. Qua occaſione non poſſum non etiam hoc monere, ut conſideres, annon ad evitandam ut ipſe ais, ſuperfluam librorum multiplicationem, caput hoc de plagiariis in formam annotationum & additamentorum operi Thomaſiano, nitidiſſimo ſane atque ordinatiſſimo, præſtet adjungi, quam idiomate alieno ſeorſim iterum pertractari. Hoc ſi probas inſtitutum, & ſecuturus es, mea etiam ad ipſum collectanea, chartis interjectis huic auctori adſcripta, lubens ad te mittam. Ne verò etiam ob hæc, & alia demum ab aliis expectanda, nimis editio Tua, quam ſane omnibus viis accelerandam potius quam retardandam cenſeo, ſufflaminetur: invenienda erit ratio talis, ea quæ jam præſto ſunt tibi deſcribendi, quæ inſerenda ſemper ulteriora ſine confuſione admittat: quales ex meo de arte excerpendi tractatu facile plures uno ſuppeditabo, niſi jam abunde, quod ſperò, hac in parte tua tibi ſolertia proſpexit. Nam omiſſa ſeorſim ſubnectere, incommodum & diſtractionis tædioſiſſimæ plenum eſſe patet, adeoque modis omnibus evitandum, usque dum ipſa impreſſio facta, ejus extremam demum neceſſitatem imponat. Vide ſodes, quanta cum familiaritate, quaſi ad antiqua neceſſitate conjunctum, prima vice ſcribam. Quod utinam eo quo à me animo fit, accipias! Nempe publico, & per id Deo ſerviendi, & amorem

Tui

Tui ardentiſſimum teſtificandi ferventiſſimo Zelo! Quo pene ultra quam ratione aſſequar, affectu abreptus, finire ſcriptionem hanc neſcio. Sed finiam tamen, ubi veniam prius huic audaciæ meæ fuero precatus, quam humanitate tua, qua publicis ſcriptis, qua privata hacce ad Lipſtorpium meum declaratione auctam, homini, ſibi nihil, ſed omnia publico Deoque petenti, donabis. Cœteroqui ſumma meorum votorum huc redit. Ut facias me quamprimum de tuæ editionis ſucceſſu certiorem: & quidem partite. (1) An latinè illam concipere animum induxeris. (2) Annon & Anonymis peculiarem ſis daturus librum, præter ea quæ ſectione 2. 3. 4. & 8. Παρέργως. Te tractare ſignificaſti. (3) qua methodo totam illam Anonymorum tractationem diſponendam putes, & an aliquid in Capitum meorum diviſione deſideres immutandum. (4) An laudata mihi auctorum loca inſpexeris, vel aliqua forte per me deſcripta exhiberi Tibi velis. Nam ipſum meum ſcriptum te habere, non dubito, licet in judiciis ſapientum tuis, alicubi ſuſpicionem moveris, ejusdem id temporis ad manum haud habiti. (5) Quot numero detectos vel Anonymos, vel Pſeudonymos, vel in univerſum omnes, Te dare poſſe ſperes. Deniq; ſi quid aliud ſit, in quo juvari à me velis & poſſis, hoc ut quaſi jure tuo imperes, ad id natum ſe cenſenti, ut bonis litteris, piisque ac modeſtis earundem cultoribus, verbo, Tui ſimilibus, inſerviat. Vale.

Dab. Hamburgi 1688. d. $\frac{12}{22}$ Maji.

Ajun-

Adjunctum Num. 2.

INDEX BIBLIOTHECARIORUM,

vel ſimilium librorum,
Amicis meis, aut mihi
perlectorum, & excerptorum:
vel D. V. adhuc
una cum ſimilibus interim prodituris, Excerpendorum & perlegendorum.

ABercrombii *Davidis* Fur Academicus, 12.
Academie Francoiſe, 12.
Academia Degl' Incogniti di Venetia. 4.
Acta Eruditorum Lipſienſium omnia 4.
Adami *Melchioris* vitæ omnes 8.
Alberici *Giacomo* Illuſtri Scrittori Venetiani 4.
Alegambe *Philippi* Bibliotheca Jeſuitica f.
Allatii *Leonis* Apes urbanæ 8.
Almeloven *Th. J.* Syllabus plagiariorum 8.
Alting. *Jac.* Reſpubl. Scholaſtica Hebræor, 12.
Andreæ *Valerii* Bibliotheca Belgica, & Hiſpanica 4.
Antonii *Nic.* Bibliotheca Hiſpanica f.
Aproſii *Angelici* Bibliotheca Aproſiana 12.
Auguſtanæ Bibliothecæ catalogus.
Auguſtini *Antonii* delle medaglie dialogo XI.
BAngarti *Henr.* Catalogus Rectorum ſcholæ Lub. 4.
Barthii *Caſp.* Adverſarior. Tom. I. f.

Bar-

Bartholini *Alberti* de ſcriptis Danorum 8.
Bartholi Catalogus bibliothecæ 4.
Nicolai Hodæporicon B. Ambroſii Camaldulenſis 4.
Thomæ de legendis libris 8.
de Medicis Poëtis 8.
Bateſii *Guil.* Vitæ Selectæ 4.
Becmani *Chriſtoph.* Memoranda Francofurtana 4.
Bejer *Adrian.* Syllabus Rectorum & Profeſſorum Jenenſ. 12.
Bellarminus *Robertus* de Scriptoribus Eccleſiaſticis cum Auctario *Sauſſaii* 4.
recognitio librorum ſuorum 8.
Bertrandi *Joh.* Vitæ JCtor. 8.
Beſodneri *Petr.* Bibliotheca Theologica 4.
Beughem. *Cornelii* Bibliographia Juridica & Politica 12.
France Scavante 12.
Beyerling. *Laurent.* Tituli varii f.
Bibliographia hiſtorico-politico-philologica curioſa 8.
Bibliotheque Univerſelle 12.
Bœcleri *Joh. Henr.* de Scriptoribus Græcis & Latinis 8.
Bolduani *Pauli* Bibliotheca Theologica, Philoſophica, hiſtorica 4.
Bonarſcii *Clari* Amphitheatrum honoris 4.
Bonifacii, *Balthaſaris* de hiſt. Romanæ ſcriptoribus 4.
Borelli, *Petri* Bibliotheca Chymica 12.
Borrichii *Olai* de Poetis 4.
Cogitationes de L. L. 4.
Boſii *Joh. Andr.* de prudentia & eloquentia civili 4.

de

de comparanda notitia Scriptorum Eccleſiaſticorum 4.
Burgoldenſis Index 4.
Buxtorfii Bibliotheca Rabbinica 8.
CAlingneſii *Jac.* Elogia Civium Cadomenſium 4.
Capacii *Cæſaris* Elogia 4.
S. Carolo, *Ludovici Jac.* Bibliotheca Pariſina 4.
Traitté des bibliotheques 8.
Cave *Gulielmi* Antiquitates Apoſtolicæ f.
Apoſtolici f.
Eccleſiaſtici f.
Chartophylax 8.
Du Cheſne Bibliotheque 8.
Chiocci, *Andr.* de Collegii Veronenſis Medicis & Philoſophis 4.
Cinelli *Giovanni* Bibliotheca volante Scancia quinta 8.
Clavelli *Roberti* Catalogus librorum in Anglia editorum f.
Coci *Roberti* Cenſura 8.
Colomeſii *Pauli* Cimelia litteraria 12.
Gallia Orientalis 4.
Bibliotheque Choiſie 12.
Connoiſſence des bons livres 12.
Conringii, *Herm.* de antiquitatibus Academicis 4.
de Bibliotheca Auguſta 4.
Introductio in Politica Arlis 4.
De Prudentia Politica 4.
Editio Scioppii Naudei, Coleri &c 4.
Criniti *Petri* de Poëtis latinis 12.

Cunradi *Caſp.* de Veteribus JCtis 8.

DEckherri *Joh.* de Adeſpotis, cum additamentis Virdungi & Balii 12.
Specimen Juris Cameralis 4.
Diaconi *Pauli* de Scriptoribus Caſinenſibus 8.
Diogenes *Laërtius* Caſauboni 8.
Draudii, *Georgii* Bibliotheca claſſica 4.

EPiphanius de vitis Prophetarum 4.
Ernſtii, *Joh.* Obſervationes variæ 12.
Eunapius, de Scriptoribus illuſtribus 8.

FEllerii, *Joach.* Catalogi Bibliothecæ Paulinæ Lipſ. 4. & 12.
Floridi de de Montalbano colloquium de Veraſio & Sarkmaſio 4.
Foſteri *Jac.* Hiſtoria Juris 8.
Franci. *Dan.* de indicibus libror. prohibitorum 4.
Freheri *Pauli*, Theatrum f.
Friſii, *Joh. Jac.* Bibliotheca Claſſica 4.
bibliotheca Geſneri f.

GAlei *Theophili* Philoſophia Generalis 8.
Gallois Tr. des plus belles bibliotheques 12.
Gaſſendi *Petr.* Vita Peireſkii 4.
de vita & moribus Epicuri 4.
Geisleri *Joh. Frid.*, Larva detecta 12.
Diſp. de mutatione nominum 4.
Gennadii Virorum Illuſtrium Catalogus 4.
Gerhardi *Joh.* Patrologia 8.
Geſneri *Conradi* bibliotheca f.
pandectæ f.

Ghilini *Ghirolamo* Theatro part. I. & II. 4.
Gloria degl' incogniti 4.
Gœkelii *Erneſti* deliciæ Academicæ 4.
Graſſo *Lorenzo* Elogii 4.
Guerre des Auteurs 12.
HAllervordi *Joh.* Bibliotheca curioſa 4.
de hiſtoricis latinis ſpicilegium 8.
Haneri *Stephani* Threnologia Germanor. Theologor. 8.
Hankii *Mart.* Scriptores Romani. 4.
Byzantini 4.
vitæ Sileſiorum 4.
Henelii *Nicol.* de veteribus JCtis 8.
Heſychius de Scriptoribus illuſtribus 8.
Heurnii *Ott.* Antiquitates Philoſophiæ Barbaricæ 12.
S. Hieronymi de vitis Prophetarum 4.
Hobbeſii vita per *Anonymum* 12.
Hornii *Georg.* hiſtoria philoſophica 4.
Hottingeri *Joh. Henr.* Bibliothecarius 4.
Huetii *Danielis* de Claris Interpretibus 8.
demonſtrationes Evangelicæ 8.
Hunnii *Nicol.* von der Paracelſiſchen und Weigeliániſchen Theologie 8.
Hyde *Thomæ* Catalogus Oxonienſis f.
JAcobi *Ludovici* vid. *S. Carolo.*
Jamblichus de vita Pythagoræ 4.
Jameſii Bibliotheca Oxonienſis 4.
Imperialis *Joh.* Muſeum hiſtoricum 4.
Jonſii *Joh.* Hiſtoria Philoſophica 4.
Hiſtoriæ Peripateticæ pars I. 4.

Jovii *Pauli* Elogia f.
Journal de Scavans 1665. hucuſque.
Irenici *Franciſci* Index 4.
Jubileum Argentoratenſis Academiæ 4.
Jugemens de ſcavans ſur les Principaux Ouvrages de Auteurs 12. Tom. IX.
Jungermanni *Ludov.* Elogia ProfeſſorumGieſſenſium.
KEmpii *Mart.* BibliothecaAnglorumTheologica 4.
Konigii *Georg. Matthiæ* Bibliotheca vetus & nova f.
Kortholt *Chriſtiani* de Origine & Progreſſu Philoſophiæ barbaricæ 4.
LAbbei *Phil.* Bibliotheca bibliothecarum 8.
Lambecii *Petri* Bibliothecæ Cæſareæ Tom. VIII. f.
Prodromus hiſtoriæ litterariæ f.
de Launoy *Joh.* de fortuna Ariſtotelis 4.
Lauri *Joh. Baptiſt.* Orcheſtra 8.
Leibnutzii *Joh. Jacob.* Memorabilia Bibliothecæ Noribergenſ. 4.
Leickherri *Frid. Jac.* Elogia Juris Conſultorum 8.
Leti *Greg.* Italia Regnante 12. Tom. II.
Van der Linden *Joh.* Bibliotheca Medica 8.
Lipenii *Mart.* Bibliothecæ reales omnes f.
Lomejeri *Joh.* de Bibliothecis 8.
Lorichii *Joh.* de Veteribus JCtis 8.
Lotichii *Petr.* de Poëtis 8.
Loſcheri *Caſp.* de Latrociniis in Auctores 4.
MAderi *Joach. Joh.* Centuria ſcriptorum 4.
Elogia duodecim 4.
de bibliothecis & Archivis 4.

Magiri

Magiri *Tobiæ* Eponymologicum Criticum auctum ab Eybenio 4.
Mari *Joh. Baptiſtæ* Notæ ad additamenta Petri Diaconi 8.
Maſſonii *Papyri* Elogia 8.
Metamori *Alphonſi Garciæ* de Academiis & Scriptoribus Hiſpaniæ f.
Meibomii *Henr.* Mecœnas 4.
Meieri *Gebhard. Theodori* Monumenta Julia 4.
De prudentiæ civilis auctoribus 4.
Gerhardi bibliotheca Theologica 12.
Melanges hiſtoriques 12.
Mercklini *Georg. Abrah.* Lindenius Renovatus 4.
Meurſii *Joh.* Athenæ Batavæ 4.
De Philoſtratis 4.
Ad Ariſtoxenum notæ 4.
Middendorpii de Academiis 8.
Molleri *Daniel Guilielmi* Scriptores artis Heraldicæ 4.
Index Scriptorum de rebus Italicis 4.
Diſpp. de Q. Curtio, Tacito &c. 4.
Morhofii *Dan. Georgii* Polyhiſtor. 4.
de Patavinitate Liviana 4.
NAudæi *Gabriel* advis pour dreſſer une bibliotheque 8.
Bibliographia politica 4. & 12.
militaris 12.
Nazianzeni de Evangeliſtis 4.

Neandri *Joh.* Medicinæ natalitia 4.
Neumarcks *Georg.* Teutſcher Palmbaum von der fruchtbringenden Geſelſchafft 8.
Nicii *Jani* Pinacotheca 8.
Nouvelles de la republique des belles lettres 12.

OLearii *Joh. Gottfr.* Abacus Patrologicus 8.
Omeiſii *Magni Daniel.* de Scriptoribus Epiſtolicis 12.
De Q. Curtio 4.

PAtin Guy lettres 12.
Paullini *Chriſt. Franciſci* Theatrum illuſtrium Viror. Corbejæ Saxonicæ 4.
Perroniana 8.
Philoſtrati de vitis Sophiſtarum 4.
Photii Bibliotheca f.
Picinelli *Filippo* de' letterati Milaneſi 4.
Pierii *Joh.* de litteratorum infelicitate 12.
Placidi Additamenta ad Petrum Diaconum 8.
Popeliniere hiſtoire des hiſtoires
Poſſevini *Antonii* Apparatus Sacer f.
Bibliotheca ſelecta f.
Prideaux *Joh.* Orationum inauguralium IX. f.

QUenſtad *Joh. Andr.* de Patriis illuſtrium virorum 4.

RAchelii *Samuel.* Introductio in Jus publicum 12.
Rangonis M. C. T. Hiſtoria Syncretiſmi 12.
Obex Syncretiſmi 12.
Rapin Comparaiſons des grands hommes 12.
Raynaudi *Theoph.* de bonis & malis libris 4.

Reiſeri *Antonii* Index Mſſ. Bibliothecæ Auguſt. 4.
Prolegomena in Auguſtinum defenſum f.
Reiskii *Joh.* Programmata de ſtatu Reip. litterariæ 4.
Remembrances off excellent men. C. B. 8.
Ridderi *Francifci* de Eruditione Hiſtorica 12.
Riveti *Andr.* Criticus ſacer 8.
Roſſi *Ottavio* Elogi de' Breſciani 4.
Rutgerſii *Jani* Variæ lectiones 4.
Rutilii *Bernhardini* vitæ JCtorum 8.

SAavedra *Don Diego* Rep. litteraria 12.
Sagittarii *Caſp.* de vita Livii, Nævii, &c. 8.
Saleſii *Caroli Aug.* de vita B. Franciſci Saleſii 4.
Sammartani *Scævolæ* Elogia 4.
Sarckmaſii Judicia 4.
Sandii *Chriſtoph.* Anti-Trinitariorum Bibliotheca 8.
Notæ ad Voſſium 12.
Scaligeriana priora & poſteriora 8.
Scavenii *Petri* Bibliotheca regia 8.
Schefferi *Joh*, de Philoſophia Italica 8.
Schenckii *Georgii* Bibliotheca Medica 8.
Scheurlii *Henr. Julii* Bibliographia Moralis 4.
Statua Mercurialis 4.
Schilteri *Joh.* de Philoſophia Pythagorica 8.
Schluſſelburgii Catalogus Hæreticorum 8.
Schotti *Andr.* Bibliotheca Hiſpanica 4.
Schulteti *Abrahami* Medulla *Patrum* 4.
Schultingii *Corn.* Bibliothecæ Catholicæ prolegomenum cap. 28. 29. 30. 4.
Simleri *Joſiæ* Auctarium Bibliothecæ Geſneri f.

Simonis *Richardi* Critica ſacra 4.
Sixti Senenſis Bibliotheca ſancta 4.
Sluteri *Walth. Sever.* Propylæum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ 12.
Sophronii vitæ Evangeliſtar. & Eccleſiaſticor. 4.
Sorell. *Claudii* Bibliotheque Prançoiſe 12.
SotoMayor *Antonii* Index librorum prohibitorum f.
Sottvvelli *Nathan.* Bibliotheca Jeſuitica f.
Spizelii *Theoph.* Templum honoris 4.
Arcana Bibliothecarum detecta 8.
De re litteraria Sinenſium 12.
De litterarum, vitiis, felicitate, converſione 8. Tom. III.
Sprat *Thomæ* hiſtory off the Royal Society 4.
Starovolskii *Simon.* Elogia Polonorum 4.

TEiſſerii *Anton.* Catalogus auctorum 4.
Terpagrii *Pet.* ſeculum illuſtre 8.
Theophili Index Scriptorum in Biblia 8.
Thomaſii *Jac.* de Plagiariis 4.
Nigello Wirgero 4.
Fœminarum Eruditione 4.
Doctoribus Scholaſticis 4.
Schediaſma hiſtoricum 4.
Thuanea 8.
Tollii *Cornel.* Additiones ad Pierium 12.
Tomaſini *Phil.* Elogiorum pars I. 4.
Parnaſſus Euganeus 4.
Gymnaſium Patavinum 4.
Athenarum Patavinarum fragmentum 4.

Pe-

Petrarcha 4.
Toſcani *Ioh.* M. Peplus Italiæ 8:
Tribbechovii *Ad.* de philoſophia mornm inter barbaros 8.
Trichet *Raph.* Catalogus 4.
Trinckhuſii *Georgii* de cœcis ſapientia claris 4.
à VEraſio Satyra 4.
View off antiquity & remarques 8.
Viſch. *Carol.* Bibliotheca Ciſtercienſis 4.
Voetii *Gisb.* Aſcetica 8.
Bibliotheca Theologica 12.
Vogleri *Valent. Henr.* Introductio in notitiam Scriptorum 4.
Voſſii *Gerh. Ioh.* de hiſtoricis Gr. & Lat.
Poëtis Gr. & Lat. 4.
Philoſophis 4.
WAtſoni *Mich.* de Philoſophiæ imprimis Peripateticæ origine, propagatione &c. 4.
Witte *Henn.* diarium Biographicum 4.
Memoriæ Theologor. 8.
JCtor. 8.
Medicor. 8.
Philoſophor. Orator. Poëtar.
Hiſtoricor. Philoſophor. 8.
à Wood *Ant.* antiquitates Oxonienſes f.
ZEileri Mart. Hiſtorici Chronologi &c. 8.

Adjunctum Num. 3.

INDEX AUCTORUM

Aliquot præcipuorum nunc occurrentium qui vel ab aliis perlegendi atque percerpendi, vel minimum mihi commendandi,

AD ANONYMORUM & PSEUDONYMORUM

detectionem, una cum ſimilibus aliis indice priori non memoratis expetuntur.

ALberti *Leandri* vitæ Prædicatorum f.
Albinæi *Nat.* bibliotheca chymica 8.
Alexandri *Natalis* ſelecta hiſtoria Eccleſiaſtica
Alexii *Cæſ.* Elogia Peruſinorum.
Allard *Guy* bibliotheqoe du Dauphiné
de Altamura *Ambroſ.* bibliotheca Dominicana.
de Alva & Aſtorga, *Petri.* varia ſcripta f.
ab Aremberg *Carol.* vitæ Capucinorum.
BAil *Ludov.* Bibliotheca concionatoria f.
Baronii *Franciſci* de Majeſtate Panormitana
Blesdikii vita Davidis Georgii Hæreſiarchæ.
du Boulai *Cæſar Egaſſe* hiſtoire de l'univerſité de Paris f. Tom. VI.
Braſſeur *Phil.* Sydera Hannoniæ ſcriptorum.
Breslai Apologia proteſtantium Angliæ 4.
le Breſt hiſtoire de l'ancien & nouvau teſtement 8.

Cal-

CAlvo, *Donato* de Scrittori Bergamaſci.
Campo *Petro* hiſtoria general de los Eremitanos f.
Caſtilli *Ferdin.* Ordinis Dominicani hiſtoria f.
Chapeauvillius *Joh.* de Scriptoribus Leodienſibus,
Charier *Nicol.* hiſtoria delphinatus f.
Crœſellii *Joh.* Elogia 8.
Curtii *Cornel.* Elogia Eremitarum 4.

DAllæi, *Joh.* de Scriptis S. Dionyſii &c. 4.
Diana *Antonii* de Caſuiſtis moralibus condemnatis.
Diegi *Franciſc.* Ordinis Prædicatorum Arragoniæ hiſtoria f.
Doni *Ant.* Franciſ. Libraria 12.
Ludovici Flores Cardinalium f.
Dorlandi *Pet.* Chronicon Cartuſianorum f.
à Duding *Jodoci* bibliothecariographia.

ab ECcleſia, *Franciſ. Auguſt.* Catalogo de Scrittori Piemonteſi 4

FIchardi *Joh.* Omnia ſcripta.
Fini *Alemanni* Scelta de gli huomini di pregio da Crema 8.
Folietæ *Huberti* Claror. Ligurum hiſtoria 4.
à Fonte *Mich.* Catalogus ill. perſonarum (ſi prodiit)

GAleotti *Barthol.* de ill. Bononienſibus Italicè.
Gaczeti *Guil.* Bibliotheque ſacrée du Pays Bas. 8.
Gretſeri *Jac.* de Jure prohibendi libros noxios 4.
Grynæi *Joh. Jac.* Orthodoxographa f.
Guisnay *Joh. Bapt.* de claris Maſſilienſibus f.

Ham-

HAmconii *Mart.* Friſia 4.
Henriquez *Chryſoſtomi* Phœnix reviviſcens 4.
Henſchenii & Papenbrochii vitæ Sanctorum f.
Hollandi *Henr.* Heroologia Anglica f.
Hulderich *Henr.* bibliotheca Tigurinorum 4.

JAcobilli *Ludov.* bibliotheca Umbriæ 4.
Juſtiniani *Mich.* Scrittori Liguri 4.

LAnovii *Franc.* Chronicon Ordinis minorum.
Joh. hiſtoria collegii Navarrei
Lascari *Conſtantini* Catalogus viror ill. Calabriæ (ſi prodiit)
Lavateri *Jac.* hiſtoria Sacramentaria.
Lauri *Joh. Bapt.* Orcheſtra Theatri Romani 8.
Lezana, *Joh. Bapt.* Annales Carmelitanorum.
Libanori *Anton.* Feraria d' oro.
Loërii *Ferreoli* de Scriptoribus Atrebatenſibus 4.
Loyſellii Memoires de Beauvais.
Lurbei *Gabr.* de viris ill. Aquitaniæ 8.

MAbillon *Joh.* Analecta.
Mandoſii *Proſp.* bibliotheca Romana 4.
Maraccii *Hippol.* Bibliotheca Mariana.
de Marolles *Mich.* Memoires f.
Marier *Mart.* bibliotheca Cluniacenſis.
Marzari *Jac.* hiſtoria di Vicenza f.
Maſtricht *Pet.* Gangræna Philoſophiæ Carteſianæ.
Micrœlii *Joh.* hiſtoria Pomeranica.
Miræi Aub. varia ſcripta.
Morigia *Pauli* hiſtoria de gl' ordini di Jeſuati 4.
Munier *Joh.* hiſtoria Auguſtodunenſis.

Nai-

NAironi *Fauſti* de Origine Maronitarum Rom. 12.

OLdoini *Auguſti* Scriptores Peruſini 4.
Orlandini *Nic.* hiſtoria Societatis Jeſu f.

PAjarini *Joh. Baptiſt.* hiſtoria Vicentina.
Papembrochii *Dan.* vitæ Sanctorum f.
Paſchalis Alidoſii *Joh. Nicol.* de Doctoribus Bononienſibus.
Pennoti *Gabr.* hiſtoria Clericorum Canonicorum f.
Pereſii Maja *Joh.* de Claris hiſpaniæ mulieribus.
Perry *Claudii* hiſtoria Cabilonis f.
Pico *Ranuccii* de illuſtribus Parmenſibus 4.
du Pin *Ellies* Bibliotheque des Auteurs Eccleſiaſtiques 8.
Pio *Joh. Mich.* Progenie de S. Domenico f.
Poccianti *Mich.* Catalogus Scriptorum Florentinorum c. add. Lucæ Ferrinii 4.
à Putea *Jul.* JCtorum Veronenſium Elogia f.

de la ROcque *Egid. Andr.* hiſtoria Neuſtriæ.
Romani *Eman.* de illuſtribus Carmelitis.
de Roſinis *Celſi* Lycéum Lateranenſe f.
Roſſi *Joh. Hieron.* Vitæ Doctorum omiſſæ.
Roſſoli *Andr.* Scriptores Pedemontii 4.
Rubei *Octav.* Elogii Breſciani

de S. Albino *Joh.* hiſtoria Lugdunenſis f.
de S. Joſeph *Iſid.* de Carmelitis Diſcalceatis f.
de S. Maria *Franciſ.* Riforma de los diſcalzos f.
de S. Nicola *Andr.* hiſtoria de los Patres Auguſtinos diſcalzos f.

du

du Sauſſay Scriptores Myſtici primi Seculi.
de Saxonia *Jord.* Eremitæ vitæ Fratrum Ord. ſui c. not. Auguſtini Sabothii.
Scardeonii *Bernhardini* Antiquitates Patavinæ.
Sedulii *Henr.* hiſtoria Seraphica. f.
Scilos *Joſeph.* hiſtoria Clericorum regularium f.
Spera, *Petr. Angel.* de Nobilitate Profeſſorum grammaticæ & humanitatis.
Styrzelii *Joh. Georg.* Elogia Inſignia.

TAlera *Cæleſtini* Elogia Benedictinorum Italicè 4.
Tomaſini *Phil.* Elogiorum pars II. 4.
Toppi *Leon.* Bibliotheca Neapolitana c. add. Leonard. Nicodemi f.
Tritthemii *Joh.* Opera omnia.
Trulli *Joh.* de Canonicis regularibus.
Twini *Briani* Apologia Oxonienſis Academiæ.

VAndenſteer *Joh. Chriſtoph.* de Præmonſtratenſibus
Ugrigiezii *Iſid.* Pompe Seneſe.
Vimbodini *Mich. Joh.* Bibliotheca Valentina.
à Virgine Maria *Dan.* Vinea Carmeli 4.
Vitalis *Salvatoris* de Scriptoribus Mediolanenſibus.
de Voyer *Claud.* des hommes illuſtres de ce Siecle 4.

WAdingi *Luc.* Annales Minorum.
Willoti *Henr.* Athenæ ſodalitii Franciſcani 8.
Winſtanley *William.* Englands worthies 8.

ZIlioli *Aleſſandro* de' Poëti Italiani (ſi prodiit.)

APPENDIX.

1.

JAm imprimi cœperat hæc Invitatio, quando allata nobis ex nundinis Lipſienſibus quaſi hic excuſa *Scriptorum recentt. decas*, indicium fecit, auctorem illius ad centum plagiarios detegendos præſto habere, & Conſultiſſimo Dn. *Chriſtiano Thomaſio*, ſub initium nobis memorato, *fratrem Gothofredum* etiam eſſe, B. Parentis doctiſſimam *de plagio litterario* diſſertationem locupletaturum. Hunc itaque rogamus, ne nolit omnia Dno. Fratri ſuo per me ſcripta in ſe quoq; trahere, ac arrham noſtri amoris ſumere illa, quæ ad B. parentis elegantiſſimum ſcriptum annotata, idem argumentum reſumturo Dno. *Bailleto*, *pag. 61. adj. 1.*, oblata jam habemus, nec acceptata. *Auctorem* verò illius *decadis*, ni fama fallit, neque latentem amplius nos, neque neſcientem, ut ea, quæ ob affinitatem hujus argumenti cum noſtro *profutura* nobis exiſtimet, non minus quã utrumq; Dn. Thomaſium *impertire ne dedignetur*, etiam atque etiam *oratum volo*.

2. *Patavio* per litteras chariſſimi Dni. Cognati mei Guſtavi Danielis *Lipſtorpii* prid. Cal. Febr. datas, *nunciatur*: Inclytum Dn. *Magliabecchi*, *ad Anonymos & Pſeudonymos meos novas additiones parare*, transmittendas ubi certos fuerit homines nactus. Hoc conſilium Deus ut fortunet, ac boni, qui poſſunt, adjuvent, transportando mihi deſtinata, precor, auxilium cujusque omnibus quibus potero meritis comprobaturus.

3. A Clariſſimo Dno. *Bailleto* epiſtola venit' de qua illud Tullii poſſim repetere: *ut opus æſtate facere poſſent, mihi poſt brumam reddiderunt.* Erat enim quinto jam ante menſe ſcripta. Quo minus ſuccenſere, Vir mei, ut teſtaris, Amantiſſimè, poteris, ſi nunc demum haſce lineolas repono, breviores etiam hoc ipſo, quo minus ulla ſpes voti mei conſequendi à te relinquitur. Nam quod parti Pſeudonymorum Gallicè tibi publicandæ ſubmittendos meos petis, id vero laborem mihi ſeligendi ex tanta copia, quæ ad eam claſſem pertinent duplicando, potius oneri ſit novo & impedimento, quam commodo & levamento ulli futurum. Præterquam quod editionem tuorum jam prela exercentium, meam prævenîſſe audio tarditatem. De pueris & adoleſcentibus tuum mihi donatum libellum etiam adhuc Rotomagi bellica, nautas & mercatores terrentia pericula, male detinent. Unde gratus quidem agnoſco beneficium tuum quo frui necdum licet. Simulac ad me perveniet, additamenta quæcunq; ſuppetent ſuppeditabo, ac lubens: quippe qui jam hoc intuitu, ex edendorum mihi Catalogo expunxi titulum hujusce ſcriptionis, ut tibi jam occupatæ, ac facile me rectius abſolvendæ. Quod deniq; pro affectu in me Tuo commemorationem mei promittis in tuis doctiſſimis ſcriptis crebram & honorificam, id utinam ita fiat, ut Dei potius in me beneficia commendentur, & ad plures porrigantur, quam gloria ulla quæratur mea: cujus aberrationes & culpas ſi potius indicaveris, & aliis æquè ac mihi minus in poſterum noxias præſtiteris, magis etiam placebis & proderis in commune. *Vale.*

LIBRI
à
VINCENTIO PLACCIO

Præter Programmata, & minuta quædam alia, non memorata,

EDITI

Usque ad A. C. 1690.

ATlantis Retecta, *ſive* de Navigatione Chriſtophori Columbi in Americam, *Poëma Ephebicum*, *Hamb.* 1659. in 8.

De JCto Perfecto, liber unus, exhibens officia & requiſita JCti, adeoque Elementa ſcientiæ interpretandi jura, ſcientificè demonſtrata: cum Appendice Regularum aliquot interpretandi falſarum, ſummis JCtis malè probaturum: Viennæ 1662. ſcriptus, 1664. in Italia, ſub *Nomici Pacemuti Analyticophili* nomine, quaſi *Auguſtæ* publicatus, in 4.

De Interpretatione Legum *Diſp. inauguralis*, *Aurēliis*, 1665. in 4.

Carmina Puerilia & Juvenilia, libris IV. *Amſtelod.* 1667. in apud Petrum le Grand.

De Scriptis & Scriptoribus Anonymis & Pſeudonymis Syntagma *Hamb.* 1674. in 4.

Typus Acceſſionum Moralium, ſive Inſtitutionum Medicinæ Moralis: deſideratorum ejus ſcientiæ, cumprimis vero Præceptorum emendandi ſemet ipſum, elementa partitè proponens. *Hamburgi* 1675. in 8.

De fructu præcipuo Philoſophiæ moralis genuinæ: qui eſt agnoſcere ipſam inſufficientem ulli beatitudini ſolidæ nobis comparandæ, neceſſariam verò ad hoc, & indubitato exiſtentem Revelationem, ejusque requiſira & ſigna, quibus à falſis religionibus queat dtſcerni. *Acceſſit* Oratio de juvene Politices Auditore *Helmſtadii 1676. in 8. apud Fridericum Lüderwald.*

De augenda Morali Scientia Commentarium, in FRANCISCI BACONIS de VERULAMIO de dignitate & augmentis ſcientiarum librum ſeptimum. Exhibens Hiſtoriæ Ethicæ breviarium ab orbe condito: indeque ex fortuna ejus varia, & impedimentis, remedia, ſcientiæque perfectioris ſperandæ ideam. *Francofurti 1676. in 8. apud. Job. David Zunnern.*

De Actionibus Tabula ex jure naturali unica, ex jure civili duplex, cum explanatione ſingularum brevi, unde applicatio ad ſpeciem facti quamlibet facillima, & comparatio juris Civilis cum naturali jucundiſſima reddatur. *Hamb. apud Gottfried Schultzen in 8.* 1678.

Excerpta Rhetoricarum Acceſſionum *in 8. Hamburgi 1679.*

Inſtitutiones Juris Reconcinnatæ ita, ut elementa

ſint

ſint totius juris privati nunc in Imperio Romano Germanico vigentis, *in 8. Francof. 1682. apud Joh. David Zunner.*

Typus Medicinæ Moralis Germanicè. Oder Entwurff einer vollſtändigen Sittenlehre / nach Art der leiblichen Artzney-Kunſt / mit Verteutſchung aller Kunſt-Wörter. Dabey

Diæta Moralis Philoſophico - Chriſtiana: Oder Chriſtliche Sitten-Pflege / fürſtellende allerhand Mittel zum tugendſamen Leben / nach Anleitung der täglichen Leibs-Verpflegung zu gebrauchen. 8. Hamburg 1685. bey dem Auctore.

Gründlicher Beweiß von Unſterbligkeit der Seelen / aus dem bloſſen Lichte der Natur. 8. Franckfurt 1685. bey Joh. David Zunnern.

Dieſe drey Tractälein zuſammen mit hochnützlichen Regiſtern 8. Francofurt 1688. bey Joh. David Zunnern.

Excerpta bina Rhetoricarum Acceſſionum, quorum priore Enthymematicæ, poſteriore Affectuoſæ Inventionis doctrina Ariſtotelica, ordinata, & triplo amplius aucta exhibetur 8 *Hamb. 1686. apud Auctorem.*

De Arte Excerpendi 8. *Hamb. ap. Liebezeit.*

Invitatio Amica ſuper ſymbolis ad Anonymos & Pſeudonymos 8. *ibidem apud eundem.*

EDENDI, D.V.

Quorum ſimili plane cum ſuperioribus typo expreſſi, in mundum redigi tantummodo: *reliqui verò ulteriori etiam meditatione, vel collectione, vel utraque adhuc indigent.*

De *Anonymis & Pſeudonymis detectis* ultra 4000. *libri duo, in folio.*

De JCto perfecto liber auctior, adjecta Sciagraphia *Partis Specialis, de ICto Romano Germanico, & interpretationibus circa Ius Imperii noſtri, benè vel malefactis, & inpoſterum faciendis: nec non* Tractatus *de Favorabilibus & Odioſis in jure*, ut & *Commentarii in Ius Statutarium Hamburgenſe.*

Inſtitutiones Iuris Naturalis univerſi, privati atque publici, quo Politicæ Acceſſiones continentur, una cum Imperiorum atque Gentium univerſaliſſimo jure: ad votum *Bœcleri* in præf. ad Grot. de Iure belli & Pacis.

De Iurisprudentia & Iurisprudente in genere *Diſſertatiuncula.*

Ad GUILIELMI GROTII de Principiis Iuris naturalis Enchiridion, annotationes & ſupplementa.

De *P*rævaricatione & *P*rævaricatoribus *Tr. Theorico-Practicus*, additis variis conſiliis & deciſionibus circa hanc materiam, partim adhuc ineditis.

In Franciſci Baconis de Verulamio *de dignitate & Augmentis ſcientiarum libros V. priores Annotata.*

Acceſſiones Logicæ, ad Methodum artis typo tenui exhibitæ Ubi de notionum vario diſcrimine, deque recta nominum impoſitione, ac uſurpatione, Grammatica item *P*hiloſophica, & interpretatione, atque Analyſi cujuscunque generis ſermocinationum.

Ad

Ad ejusdem Librum VI. Comm. de Augmentis Rhetoricis.

Acceſſiones Rhetoricæ methodicè digeſtæ.

Acceſſiones Ethicæ exhibitæ in MEDICINA ANIMORUM MORALI bipartita: cujus pars I. Inſtitutiones Medicinæ Animorum, ſecundum ordinem typo impreſſo exhibitum, plenius elaboratæ.

Pars II. Medicina Moralis Practica, ſive De Vitiorum ſingulorum agnitione & Curatione ſpeciatim.

Ejus ſpecimen in iracundiæ ſignis & remediis exhibitum.

In ejusdem lib. VIII. Commen. de Augmentis Politicis, ſeu ſcientiarum de Societatibus humanis.

In ejusdem lib. IX. Annotationes.

Analyſis exacta Logica Ariſtotelicorum Analyticorum *P*riorum & *P*oſteriorum, B. *Keckermanno (Praecogn. Logic. tr. 2. c. 5. pag. 43.)* inter alia deſiderata.

Analyſis Ejusdem *Ethicorum Nicomachiorum*, & *Politicorum*, ita ut ad oculum appareat, ubi quælibet probatio incipiat, atque deſinat, & qualis quæque ſit, quive textus hiantes, aut integri ſint.

De Aſtrologia Iudiciaria potius expurganda, quam contemnenda, Conſilium epiſtolare, cum Epiſtolis argumenti varii *P*hiloſophici aliis.

Ratio Status Reipublicæ Litterariæ hodiernæ, ſive Corruptelæ atque remedia illius

Anno-

Annotationes ad Diſputationes X. Ethicas HORNEII, cum adſcriptis verſiculis Ariſtotelici textus, quibus reſpondent theſes Horneianæ.

Annotationes variæ, Philoſophicæ potiſſimum, in Auctores varios, qua veteres, qua recentiores, diverſarum linguarum.

Hiſtoriæ Litterariæ Compendium univerſale: Migrationes Artium & Scientiarum varias ſummatim exhibens.

Bibliographia Rhetorica, Ethica, Politica, & Iuris naturalis privati compendiaria: una cum Conſiliis de ſtudiis hiſce cum ad Theoriam, tum ad praxin optime inſtituendis.

Additiones ad Thomaſium de Plagio literario: Vogleri Introductionem in omnis generis auctores, & Bibliothecas Varias Variorum.

Ad Pierium Valerianum de infelicitate litteratorum.

Hiſtoria Curationum moralium antiquæ & novæ.

Additiones ad Vorſtium, de Latinitate falſo ſuſpecta, & merito ſuſpecta.

Analyſis Rhetorica accurata Divinationis Ciceronianæ contra Verrem, *& aliarum* orationum, *etiam Taciti, Livij, &c.* ſecundum Acceſſiones Rhetoricas inſtituta.

Encyclopædia Philologica, ſecundum ordinem Scientiarum, locutiones proprias & Latinas, ex bonis auctoribus excerptas, circa quamlibet materiam exhibens, auctoribus ubique nominatis, &c.

ALI-

ALIENA SCRIPTA.

Plurima, variorum Auctorum, vitâ jam functorum, ad diverſa ſtudiorum genera pertinentia: in quibus b. m. Parentis mei *Dr. Iohannis* PLACCII *obſervationes Medicæ*, & alia, quorum Catalogus prolixior, quàm ut hic exhiberi nunc poſſit.

Interim ſi quis indignerur, me ſcriptorum meorum Indicem texere: ſciat is, plurimorum omnis generis Scriptorum exemplo id à me factum. Quorum aliquos ut animo nunc occurrentes nominem: Ecce Andr. *Alciatum*, Leonem *Allatium*, Claudium *Arrhenium*, Valerium *Andreæ*, *D. Auguſtinum*, Jacobum *Anzolium*, Adr. *Barlandum*, Thom. *Bartholinum*, *Bellajum*, Fredericum Cardinalem *Borroméum* Philippum *Bosquierum*, *Bulingerum*, Johannem *Cajum*, Thomam *Campanellam*, *Canevarium*, Johannem *Caramuelem*, Hieronymum *Cardanum*, *Champerium*, Johannem *Cochleum*, *Dionyſium* Carthuſianum, Jo. Amos *Comenium*, Damhouderium, Jac. *Duraſtantem*, Deſiderium *Eraſmum*, Henr. *Ernſtium*, Joh. Jac. *Friſium*, Ahasverum *Fritſchium*, Joh. *Furtembach*, *Galenum*, R. Gedalia *Iechajæ filium*, Gilb. *Genebrardum*, Conradum *Gesnerum*, Iac. *Gretſerum*, Chryſoſtomum *Henriquez*, Dav. *Herlicium*. *S. Hieronymum*, *Honorium*, Ioh. Henr. *Hottingerum*, Chriſtianum *Kortholt*, Philippum *Labbeum*, Petrum *Lambecium*, Ioannes *de Launoy*, Petrum *Laurenbergium*, Fortunium *Licetum*, Michaelem de *Marolles*, Franciſcum *Mirandulanum*, Nicolaum *Nancelium*, Fredericum *Nanſeam*, Michaelem *Neandrum*, Alo-

Aloyſium *Novarinum*, Theodorum *Petrejum*, Laur. *Pignorium*, Iohannem *Pitſeum*, *Portam*, Anton. *Poſſevinnm*, *Priolum*, Erycium *Puteanum*, Theophilum *Raynaudum*, Antonium *Reiſerum*, Joh. *Rhenium*, Petrum *Ribadeneiram*, Annæum *Rulmannum*, Franc. de *Sales*, Antonium *Sanderum*, Joh. *Schefferum*, Gaſparem *Scioppium*, *Sigebertum*, *Sixtum* Senenſem, Claudium *Sorellum*, Johannem *Starkium*, Henricum *Stephanum* Stolbergerum, Joh. Steph. *Swertium*, *Sylveſtrum*, *Taurellum*, Jac. Phil. *Tomaſinum*, Joh. *Tritthemium*, Antonium du *Verdier*, Carolum de *Viſch*, Gotthofr. *Voigtium*, Martinum *Zeilerum*, *&c.* Quos omnes hoc nomine vituperandos autumans, etiam me una ſi vituperet, parum penſi habeam, in tanto me longe meliorum numero facile latitaturus. Non vituperabit autem, quisquis præter commendationem hujus inſtituti, V. Cl. *Gabrieli Naudæo* in vita Cardani allatum, id etiam cogitaverit: quantopere hac ratione, laborantes in eodem aliquo argumento, ſtudia ſua mutuis auxiliis ſublevare invitentur, ſi ſtatim quos quisque habeas in ſuo labore ſocios, publice innoteſcat: inprimis quamdiu Societates Eruditæ adhuc in deſideriis meris Eruditorum hærent. Sicut ſane non alia mente magis ego edendorum à me indiculum huncce publicavi, quam ut juvandi meos conatus quibus libuerit uberior tanto facultas exiſtat. Quemadmodum ego viciſſim mea cæpta cuivis, majori cura, vel otio, vel aliis adminiculis, ſubſidiisque præ me inſtructo, ad illa perficienda properanti, ſim donaturus ac lubens.

[illegible] Google

Digitized by Google

1 '56